10
2-E
27

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
2 G
17

147 : 15

10 - 12

Digitized by Google

Digitized by Google

42-A

Digitized by Google

IV G. H 6

SACRA
PER COMPENDIVM
HISTORIA.

In qua, vniuerſa quæ à mundo condito, vſque ad Chriſtum natum geſta ſunt; breuiter, ſed dilucide & ordine perſtringuntur.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Authore M. BONAVENTVRA ROVSSEAV DE BASOCHES Pariſienſi, Regis Eleemoſinario.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

PARISIIS,

Apud TVSSANVM DV BRAY, via Iacobæa, ſub Spicis maturis.

M. DC. XXXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO CARDINALI DVCI DE RICHELIEV.

QVOD in more fuit Perſis, *principes viros non ſine munere ſalutare*, (CARDINALIS EMINENTISSIME) *illud idem mihi, tuæ iam gratiæ aditus tentaturo,(alia tamen ratione) cenſui faciendum. Siquidem illi, vt pote prophanis hominibus, prophana etiam tantummodo, flores & fructus offe-*

Digitized by Google

rebant : tibi vero, quem ſatis purpuræ fulgor eximius, ſacrum exhibet; quem, inquam, Parthi *ipſi ſi redirent, profecto relicto ſtatim Sole, præ maiori religione adorarent; Sacra,* Sacram *nempè* veteris totius Teſtamenti hiſtoriam, *pro munere defero.*

Enimuerò (CARDINALIS EMINENTISSIME) *eximiæ celſitudinis tuæ dotes, natura ſua, etiam ipſis aſtris longè ſupereminent: nam hæc omnia cœlorum lumina, defectibus quotidie ſunt obnoxia; illæ vero, occaſum neſciunt; imò in perpetuum duraturæ, famam tibi faciunt ſupra hominum verba immortalem: quas ſi quis in te ſingulas, veluti in tabella repræ-*

ſentet; dabit imaginem poſteris, vnde virtutum omnium natiua ſpecies effloreſcat.

Non iam *erit opus in veteres intueri, & ab illis, documenta accipere prudentiæ: erit enim, vnde ſibi in te ſolo, quiſque moderationem animi ſingularem petat, & intelligat,* tractanti Reſpublicas, mentem eſſe conſilio inſtructiſſimam, corpus patientia ferreum opportere. *Celebris ſemper erit illa tua inſignis virtute vita, tot iam populis, tot vrbibus ſalutaris:* In ſe enim perfectum eſſe, præclarum eſt; omnibus profuiſſe, glorioſum.

In quo, LVDOVICI REGIS IVSTISSIMI *prudentiam ſingula-*

Digitized by Google

rem non ſatis poſſum demirari, cùm te ſuarum curarum voluit eſſe participem, quem ſibi virtute atque animo, conjunctiſsimum eſſe cognoſcebat; cuius conſilijs, tantas machinationes, tanta celeritate in dies promoueri, hoſtes Rupellani mirabantur.

Interim, *ea tibi debetur laus non minima, quod hæc & ſimilia tui ipſius facinora, tanta virtute & integritate attemperas; vt habeat orbis vnde merito glorietur*, repertam in ARMANDO ſine fuco virtutem; ſine fraude prudentiam; ſine faſtu Majeſtatem; ſine labe ac næuo candorem. *Nam quod ad tam altum dignitatis culmen, etiam non fortunæ beneficio,*

Digitized by Google

ſed virtute duce perueneris ; tibi fortaſſè cum alijs commune eſt: ſed quod in tanta fortuna, ita te geras, vt eumdem ſemper vultum retineas; ea demum tua gloria eſt, quam etiam illi ipſi quos tuus offendit ſplendor, non ſine quodam ſtupore, vel inuiti admirantur.

Verum ego, *laudum hîc tuarum præconium non decreui facere; eas longiori ſermone, & tuba clarius reſonante prædicandas relinquo: imò, non mediocre beneficium in me collatum arbitrabor; ſi omnes intelligant, me de te dicere maximè voluiſſe, minimè potuiſſe.*

Reliquum *igitur eſt*, (CARDINALIS EMINENTISSIME,) *vt indices animi mei veluti tabellas, tuis*

Digitized by Google

trophæis appendam : en hæc ve-
teris Teſtamenti Hiſtoria ; *en
inquam primus ingenij mei fœtus;
quem à principio dicatum, tuo
iterum nomini nuncupo, ſingulare
profecto meæ erga te obſeruantiæ,
monumentum.*

VALE,

EMINENTIÆ TVÆ,

cliens humillimus
B. ROVSSEAV DE BASOCHES.

Digitized by Google

SACRA
PER COMPENDIVM
HISTORIA.

In qua, vniuerſa quæ à mundo condito, ad Chriſtum vſque natum geſta ſunt; breuiter, ſed dilucide & ordine perſtringuntur.

TANDEM aliquando DEVS, poſt integram annorū æternitatem, mundum fabricari ſtatuit: & qui poterat illius omnia momento temporis abſoluere; nihilominus, vel propter ordinem quem ſic exigere natura rerum videbatur,

Creatio mundi, & hîc initium Geneſeos.

Digitized by Google

vel propter cauſam aliquam ſibi ſoli compertam, ſex dierum ſucceſſione vtitur.

a *Empyreum.*
b *Ex nihilo.*

PRIMO, Cœlum [a] & terram [b] creat: tenebriſque ablegatis, lucem ex quibuſdam aquis abyſſi, ideo in modum criſtalli lucidiſſimi condenſatis, educit.

SECVNDO, Firmamentum facit, quo aquæ antea confuſæ, iam ſuperiores ab inferioribus diſtinguerentur.

c *Eo die creatus Paradiſus terreſtris, & omnia quæ terræ perfectio requirit.*

TERTIO [c], Illis omnibus aquis inferioribus in mare congregatis, terram multiplici herbarum & plantarũ genere exornat.

QVARTO, Solem, Lunam, & Stellas, in firmamento cœli collocat.

QVINTO, Piſces ſimul & aues cuiuſcumque generis producit.

SEXTO DENIQVE ET VLTIMO DIE, Cætera terræ animantia: ac tandem Adamum, totius

ADAMVS.

Digitized by Google

ſui operis complementum format, formatum vero benedicit, cæteriſque quaſi dominum præficit. Nec ſatis, illum in amœniſſimis hortis collocat: vbi ver perpetuum, fontes irrigui, rerum denique omnium copia, Paradiſi cuiuſdam ſimilitudinem referre viderentur. Vnicum tamen eſt, fructus ſcilicet vitalis arboris, quo ipſi in hac tanta rerum abundantia, etiam ſub pœna mortis interdicit: qui pariter præuidens, non ita bonum eſſe ſi homo ſolus remaneret: Adamo poſtea per ſoporem immiſſum dormienti, mulierem ex proprio ipſius latere, veluti ſociam & adiutricem facit. Verum hæc, ab ipſo Dei conſilio longè recedens, cui debebat eſſe in auxilium, ipſi fit in ruinam: à ſerpente ſeducta, Adamum pariter ſeducit: qui non tam vetiti fructus ſpecie, quam illecebra in-

ductus vxoris, Dei mandatum tranſgreditur. Quapropter ſerpens maledicitur: & Adamus vnà cum noxæ ſocia, beatis hortis in perpetuum expulſus; morti, cæteriſque mortalium miſeriis obiicitur.

Exilii autem ſui initio, Caïnum & Abelem filios, ex Eva vxore ſuſcipit. Inter quos, domeſticum ſtatim malum interuenit inuidia. Ægrè enim ferens poſtea Caïnus, Deum non ſua æque ac fratris ſacrificia, igni cœlitus immiſſo comprobaſſe: homo inquam inuidus, ex hoc concepto mortali pluſquam odio, Abelem tandem interficit. Et exinde, vltrice parricidij cõſcientia ſemper profugus, huc atque illuc oberrans, ſimilem ſui (hoc eſt inuiſam Deo & rebellem) ſobolem procreat: piam vero alteram ex aduerſo & religioſam, Sethus aliquanto

Digitized by Google

poſt Abelis necem Adamo genitus, producit; cuius hîc ordo proponitur.

Ordo poſterorũ Sethi.

ADAMO [a] anno ætatis ſuæ130. naſcitur filius SETH.

SETH vero, ENOS.
ENOS, CAINAM.
CAINAM, MALALEEL.
MALALEEL, IARED.
IARED, HENOCH.
HENOCH, MATHVSALEM.[b]
MATHVSALEM, LAMECH.
LAMECH denique, NOE.

a *Vixit Adamus nongentis & 30. annis.*

b *Vixit Mathuſalem nongentis & 69. annis.*

NOE.

Ille vero cùm quingentorum eſſet annorum, filios etiam tres, SEM, CHAM, & IAPHET, ex vxore ſuſcipit: à quibus gentes omnes, toto terrarum orbe, fuerunt poſtea propagatæ. Iapheto, Scythia & Europa; Chamo, Syria, Ægyptus, & Africa; Semo, Aſſyria, India, & Aſia, obuenerunt. Hi igitur ſunt Adami poſteri, omnes ante diluuium mortui, exceptis Noe & Henocho.

qui ob ſummam cum Deo familiaritatem, diuinitus ex hominum cœtu atque oculis rapitur, anno à mundo condito prope milleſimo, ætatis vero ſuæ trecenteſimo ſexageſimo quinto. Sethi porro gens, à priſtina pietate poſt hac recedens, connubiis cum Caïni gente iunctis, gigantes producit: & in externos iam lapſa mores, omnia pudoris atque officij repagula perfringit. Ex quo infenſus maxime Deus, ſtatim exitium vniuerſum intentat: & hanc tantam vniuerſæ terræ libidinem, eiuſdem inundatione reſtinguere decernit. Verũ Noe [a] propter incorruptam ipſius iuſtitiam, ab hoc generali diluuio eripere, atque ideo antea ipſius ſecuritati conſulere, cupiens: ei cuiuſdam arcæ fabricam, veluti in præſidium & ſalutem proponit, iubetque in ea ſimul cum vxore, filiis, eorumque

a *Solum ex Sethi poſteris.*

Digitized by Google

vxoribus, bina cuiuſcumque ſpeciei animalia, in ſemen [a] poſteritatis conſeruari. Nec mora, his ita factis, iam ſuæ decretum voluntatis potenter exequitur: & perpetuis quadraginta dierum & noctium imbribus, omnia penitus ſubmergit, anno poſt mundum conditum milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo ſexto, ætatis vero Noe ſexenteſimo, anni menſe ſecundo puta Maio [b], eiuſdemque menſis die decima ſeptima. Nihilominus, (vt à Dei iuſtitia, nullo modo poteſt miſericordia ſeparari,) veluti poſtea dolens tantam hominũ calamitatem, iram cohibet; aquas imminuit; & adducto ſuo ſpiritu ſuper terram, ipſam quaſi ſub aquis annihilatam, iiſdem in priſtinum lorum reſtitutis, veluti

DILVVIVM.

a *Dico in ſemen poſteritatis, quia ſeptena quidem & ſeptena, debuerant congregari, ſed non omnia ad ſpeciei cõſeruationem; alia enim erant ad ſacrificium, alia ad eſum poſt diluuium, &c. Sic Ioſephus, Sanctus Ambroſius, Caietanus, &c.*

b *Vt oſtenderet Deus, cauſam diluuij non naturalem, puta ex imbribus hyemalibus*

recreat *a*. Ipſe vero Noe, etiam hoc ſtatim per columbam emiſſam intelligens: vnà cum ſuis omnibus, ex arca vbi detinebãtur egreſſus; aſſumptis victimis, Deo ſacrificium facit: qui per illud placatus, nunquam deinceps diluuium fore pollicetur; imo & ſui pacti teſſeram, iridem conſtituit. Poſt hæc, cùm vis & vita hominum ſenſim & in dies imminueretur; Deus ad ſubſidium imbecillitatis, eſum carnium (prohibito tamen ſanguine *b*) indulget. Noe etiam vini vſum excogitat, verum poſtea hauſtum paulo vberius, ne ſuo quidem parcit authori: quem ideo nudatum in tabernaculo, filius Cam animaduertens; veluti in ludibrium fratribus demonſtrat: ſed hi contra, tantam impietatem auerſi, parẽtem ſtatim iniecto pallio contegunt: qui experrectus, & ea de cauſa, Cami

a *Iterum ac ſecundo creat.*

b *Vt homines quã longiſſime deterreret, ab effuſione ſãguinis humani.*

Digitized by Google

ami progeniem execratus; cæris liberis benedicit. Cæterum, s omnibus tranſactis, anceps lhuc & dubius quonam in lo› ſubſideret; ab oriente[a] profeus, venit in terram Sennaar[b]: i cum filijs & nepotibus, doicilium conſtituit: qui tamen ɔſtea in multas generationes ultiplicati, cùm, vna tantum :gione capi, amplius non poſ:nt; ſed in reliquas etiam orbis :rrarum partes, eſſent diuideni: ante digreſſum, ſũmæ altituinis turrim, vno omnes conːnſu, excitare ſtatuũt, ſiue inunationis perfugium, ſiue habitæ ɔnuentionis monumẽtum. Veım, ac ne vix quidem (Nemroto, veluti cæteris authore) pidem lapidi admouerãt, cùm atim ſuperbis eorum conatiıs; diuinum reſiſtit numen: ım repente, vna, quà tunc vteıntur, lingua[c], in duas & ſep-

a *Puta Armenia, vbi primo quieuerat Arca.*

b *Babylonem.*

c *Scilicet Hebraica.*

tuaginta, quot erant familiæ, diuinitus diſpertitur. Sicque ſublato ſermonis commercio, ædificium *a* pariter infectum relinquitur. Et ex eo tempore, ſingulis vndequaque ſic diſperſis, tandem Noe (annis ſcilicet à diluuio trecentis & quinquaginta, ætatis vero ſuæ nongentis & quinquaginta) moritur. Porro, hæc eſt progenies Sem, filij ipſius primogeniti. Biennio poſt diluuium

a *Quod ex illa molitione reliquũ fuit, Babylonis initiũ feciſſe creditur.*

Ordo poſterorũ Semi.

SEMO, naſcitur ARPHAXAD.
ARPHAXAD, SALE.
SALE, HEBER.
HEBER, PHALEG.
PHALEG, REV.
REV, SARVG.
SARVG, NACHOR.
NACHOR, THARE.
THARE denique, filius ABRAHAM, anno à diluuio 292 *b*. à

b *Ex quo cõſtat Noe vixiſſe tẽpore Abraham, Noe enim ſuperuixit diluuio, 350. annis: & ideo, quod ipſius mortem ante Abrahami natiuitatem poſuerimus; id non iuxta rei veritatem, ſed ad maiorem hiſtoriæ intelligentiam fecimus.*

Digitized by Google

mundo condito 1949.

Ille, pietatis & obſequij exemplar perfectiſſimum, vocatus à Deo, non reſiſtit: ſed omnibus, ſimul & patria [a] relictis, ſolus cum Sara vxore & Loth filio fratris, veluti peregrinus, in Chanaam proficiſcitur. Verum, huius ſuæ virtutis præmium, etiam ſtatim experitur: forte poſtea propter annonæ inopiam, profectus in Ægyptum; raptam ibi à Pharaone coniugem, intactam recipit [b]: Sed præterea, ita derepentè diteſcit, vt qui antea ſimul cum Loth habitabat, iam præ multitudine ſubſtãtiæ [c] coactus, ab eo ſeparatur. Loth [d], Sodomã eligit: Abraham vero, Chanaæam, quam ei Deus multoties oſtendit & pollicetur. Iam vero, octoginta annorum erat: & qui non potuerat ad hoc vſque tempus, ex Sara vxore propter ſterilitatem; filium, nomine Iſmaë-

ABRAHAMVS.

a *Chaldæa.*

b *Immiſſis à Deo, Pharaoni flagellis.*

c *Pecudum, &c.*

d *Ipſe idem Loth, non diu poſt inter Pentapolitas à Babyloniis captus, liberatur ab Abraham.*

lem, ex Agar ipſius ancilla ſuſcipit. Nihilominus poſtea, hæc eadem vxor, ipſi tandem aliquando paritura, promittitur: qui exinde, circunciſione *a* ſibi ſuiſque poſteris, à Deo veluti pro fœdere conſtituta; protinus ſe ſuoſque omnes, vnà cum Iſmaële filio, circuncidit. Interea Deus, nefandis Sodomæ præſertim *b* & Gomorræ peccatis, nimis ſuperque laceſſitus; tres Angelos, veluti iuſtitiæ ſuæ adminiſtratores delegat: illi, diuinæ ſtatim voluntati obſequentes, aſſumptis corporibus profecti, rectà Sodomam veniunt: ſtatimque Loth propter ipſius iuſtitiam adeuntes, hunc ipſum futuri iam iam euentus, ſed præſertim diuinæ voluntatis commonitum, vnà cum vxore & filiabus educunt, tantùm poſt tergum reſpicere prohibentes: ac nulla mora, Deo per omnia ob-

a *In omni maſculino, octauo natiuitatis die.*

b *Aliæ enim tres adhuc erāt vrbes, licet non ita Deo inuiſæ.*

ſequti, ad ſummum, impudicas illas vrbes, imo vniuerſam Pentapolim [a], (excepta tantum modo Segor) igne cœlitus euocato abſumunt. Sola vxor Loth, inter omnes infidelis, repente in ſalis ſtatuam transformatur [b]. His omnibus tranſactis, & filio tandem ex Sara ſterili, nomine Iſaac, nato [c] & circunciſo: Deus, cupiens Abrahami fidem, ſimul & obedientiam, iterum ac ſecundo experiri; hunc ipſius vnigenitum, tamdiu deſideratum, ſibi in monte Moria [d], propriis etiam manibus iubet immolari: conatum tamen pro facto recipit. Iam Abraham, nutiquam parere dubitans, impoſitum aræ filium [e], ferro appetebat: cùm repente cœleſti voce, & Angelo dexteram cohibēte, retinetur [f].

Vrbium Sodomæ & Gomorræ incēdiū.

a *Sodomam, Gomorram, Adamam & Seboiū: nam Segor, precibus Loth liberatur.*

b *Quod cōtra Angeli educentis præceptum, retroſpexiſſet.*

c *Anno Abrahæ centeſimo.*

d *Qui & Caluariæ mons dicitur.*

e *Iam annos viginti quinque natum.*

f *Pro eo autem, Aries diuinitus ſe obſtulit in holocauſtum.*

a Sara tamen moritur ante Abraham, nam adhuc ipſe poſtea, nupſit Ceturæ famulæ, ex qua ſex filios ſuſcepit.

Verum, non minus quam antea, imo magis, copioſiſſima nimirũ ſobole, ſed præſertim Chriſto promiſſo, compenſatur. Ac tandem, cum Sara *a* vxore moritur, anno ætatis ſuæ centeſimo ſeptuageſimo quinto.

ISAACVS.

ISAAC autem, quadraginta iam annis natus, Rebecam filiam Bathuelis, Syri, de Meſopotamia, vxorem ducit. Duos etiam ex ipſa filios, Eſau & Iacob ſuſcipit: quorum minor, à Deo prælatus maiori, ab ipſo in ſuper primogenituram, ſibi pulmenti tantùm pretio comparat. Poſt hęc, Geraras, annonæ cauſa, proficiſcitur. Ibi Dei fauentis numine, & coniugis Rebecæ pudicitiam, Abimalechi Regis Paleſtinorum libidine, intactam ſeruat: & rem ſuam familiarem, in ipſo etiam ſterilitatis anno, miris modis amplificat. Cæterum reuerſus, & affecta iam ætate *b*, cœ-

b Vixit ann. 180.

Digitized by Google

utiens, ab vxore (non tamen ine diuino conſilio), decipitur; cuius arte, Iacobum Eſau anteponens: ſuam illi benedictionem, ſub perſona fratris præreptam, moriturus impertitur.

IACOBVS.

Ideo IACOB, fratris inſidias veritus, in Meſopotamiam fugiēs; poſt acceptam forte in via [a] viſionem, ſcalæ à terra ad cœlum vſque pertingentis, Angelorum in ea aſcendentium & deſcendentium, Dei denique, ſibi è ſummo faſtigio multas gentes, ſed maxime Chriſtum, pollicentis: venit in Haran, ad Labanum auunculum; cui per ſeptem annos, pro Rachele filia in vxorem ducenda (vt moris erat) famulatus, ab eo tamen poſtea eluditur. Nam exacto tempore, nuptiis etiam celebratis, pro ipſa, alteram nomine Liam, noctu, clam, ſubſtituit: Nihilominus, detecta tandem fraude, coactus;

a *Cum dormiret.*

Digitized by Google

ſuam ipſi Rachelem, ſed pari vt antea conditione, reſtituit. Ex his, duabuſque aliis vxoribus, Iacobo, duodecim naſcuntur Patriarchæ. Ex Lia, ſex; Ruben, Symeon, Leui, Iuda, Iſſachar, & Zabulon. Ex Zelpha, duos; Gad & Aſer. Ex Bala, itidem duos; Dan & Nephtali. Denique ex ipſa Rachele, poſtea miſerentis Dei beneficio fœcundata, Ioſeph & Benjamin ſuſcipit. Quibus tranſactis, poſt quatuordecim ſeruitutis ſuæ annos, iam patriam cogitans; nouo tamen pacto & mercede, iterum à Labano retinetur. Verum doloſum ſocerũ, iuſto dolo decipit: quicquid enim de ouibus [a], varij coloris poſtea naſceretur, id ex pacto, quaſi pro ſua mercede ceſſurũ intelligẽs: atque ideo, non niſi vni-colores, ſibi à Labano ad paſcendum relictas, ſingulari prorſus arte vtitur. Populeas illis vir-

[a] *Quarum erat cuſtos.*

irgas, ex parte decorticatas, in
ſo calore coitus ad varietatem
biicit: vnde vltra modum dita-
is, clam fugit cum tota familia,
Chanaam. Inſequitur Laban,
ui tamen cum ipſo, poſt lon-
am altercationem paciſcitur.
nde Iacob, iter ſuum perſe-
uens, binas Angelorum acies,
bi à Deo veluti in tutelam ſub-
iſſas, forte animaduertit: &
oſt nocturnam cum Angelo
ctam, nomen Iſraëlis acci-
it. Interim munera ad fratrem
ſau mittit, qui ſtatim placatus,
ccurrens; poſt multos ample-
us, in patriam *a* tandem reuer- a *Terram*
tur. Iacob vero, Salem, vrbem *Seir.*
ichimorum *b*, quaſi pro domi- b *Quæ eſt*
lio eligit: vbi tota familia ido- *in Cha-*
s expurgata, Rachel tandem *naam.*
ſius vxor, moritur, anno ætatis
æ quinquagenario.

Poſt hæc IOSEPH, ſexdecim IOSE-
m annorũ natus, miram acci- PHVS.

pit in quiete viſionem. Somniat ſe vnà cum fratribus, ligare manipulos in agro, ſuum vero manipulum quaſi ſtantem, alios adorare: Solem etiam, Lunam, ſtellas denique omnes, ſibi quodammodo famulari: & vt erat ſuopte ingenio parum, vel nullo modo callidus; totum illud ſomnium, bona fide, fratribus aperit: ſed hi longè diſſimiles, conceptis exinde odiis, Ioſephum omnibus modis interficere ſtudentes, cum non poſſent; madianitis mancipatum tradunt, qui eundem pariter poſtea, in Ægypto, Putiphari Pharaonis Eunucho, diuendunt. Nihilominus, paucis abhinc annis, Deo ita diſponente, ob diuinam ſomniorũ coniiciendorum ſolertiam, à Pharaone, toti regno præpoſitus: mira erga ipſos moderatione, vtitur. Iniuriam, oblata vlciſcendi occaſione condonat: omnino, alti-

tudine animi, fortunæ inſolentiam ſuperans; annonæ cauſa profectos in Ægyptum, poſt lautum conuiuium, cum muneribus ab patrem remittit: qui ad tale nuntium vix ſe præ gaudio capiens, maximè ipſum, quem huc vſque mortuum, falſa impoſitione crediderat; hunc eundem, poſt Pharaonem dominantem, intelligens: adhuc ſemel viſurus, cum tota familia, in Ægyptum proficiſcitur. Ibi reliquum vitæ ſuæ tempus, in pace tranſigit: tandemque poſtea, anno ætatis ſuæ centeſimo quadrageſimo ſeptimo, moriturus; Ephraim & Manaſſe duobus Ioſephi filiis, in ſuos veluti acceptatis, etiam cum ſuis prophetice benedicit. Ioſeph, mortuo patre, per aliquod tempus ſuperſtes viuit; fratres ob ſcelus pauidos, conſolatur; ac tandem poſtea etiam moritur, anno æta-

tis ſuæ centeſimo decimo, anno mundi 1310. anno ante exitum ex Ægypto 144.

Hic incipit Exodus.

His tranſactis, mortuo etiam poſtea Pharaone, nouus quidam alius, Rex in Ægypto ſuccedit. Ille (Ioſeph penitus ignorans) Hebræos [a] Iacobi poſteros, quotidie per ſuum regnum noua prole croſcentes, timens: ne ſcilicet bello aliquando ingruente, ſe Ægyptiorum hoſtibus adiungerent: eos, nimia operum [b] impoſitione, opprimere [c] ſtatuit. Sed fruſtra: ideoque vocatis omnibus Hebræorum obſtetricibus, iubet maſculos omnes (fœminis tantummodo reſeruatis) in ipſo partu trucidare.

a *Iam cum Ioſepho, vniuerſi etiã ipſius fratres, erant mortui; imo & eorum filij: omnino ſeptuaginta illi, qui cum Iacobo profecti fuerant in Ægyptum: ideoque Hebræi de quibus hic loquimur, erant tantum filij & poſteri, primorum illorum ſeptuaginta.* b *Primo luti formatione in lateres; ſecundo, ædificatione vrbium; tertio, Nili in multas foſſas diductione.* c *Eorum exhaurire generandi, ſeſeque propagandi facultatem.*

Digitized by Google

Verum illæ, Deum magis quam Regem timentes, facinus detrectant: tandem iratus Pharao, eoſdem maſculos ſubmergi imperat. Sed & iterum fruſtra, Deo vana ipſius conſilia eludente: puer enim Moſes, ,cuius natiuitatis metu, hæc omnia intentari videbantur,

Hic inquam, tandem aliquando ex Tribu Leui naſcitur. Imo, (quod mirabilius) feruente in dies magis inquiſitione, cum iam celari vlterius non poſſet, littoribus Nili expoſitus: ab ipſiuſmet Pharaonis filia [a], forte illuc deambulante liberatus, præ vultus decore & venuſtate, in ſuum adoptatur. Nihilominus poſtea maior factus, ab Ægypto diſcedit, aulam Pharaonis relinquit, denique Deum vocantem ſequutus, in Madian proficiſcitur: ibi ex Sephora Raguelis ſacerdotis filia, in vxorem ducta, duos

MOSES.

a *Hæc quippe erat illiberis.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

filios, Gerſam & Elieſer ſuſcipit. Interea, deffuncto pariter & iſto Pharaone [a], Hebræi, poſt multas vexationes, quaſi iam ſibi maior libertatis ſperandæ daretur occaſio, ad Deum recurrunt; ipſius auxilium, maioribus quam antea precibus efflagitant. Nec fruſtra: inuocatus enim, ſtatim adeſt & ſuccurrit. Moſem [b] ipſũ, ad hoc natum, forte tunc oues ſoceri Raguelis, in monte Horeb [c] paſcentem, euocat; eique poſtea præ timore, quem ex numinis, in rubo ardenti & incombuſto apparentis, reuerentia conceperat, paululum erecto: ſuam de liberandis Hebræis voluntatem, aperit. Omnino iubet ipſum, ſub nomine Eivs qvi est, ad Pharaonem ideo proficiſci. Imo, ad maiorem ſuæ legationis fidem, tria [d] triplicis conuerſionis ſigna, ipſi coram Ægyptiis facienda, permittit. Ab hac miſſione,

a *Reges omnes Ægypti, dicti ſunt Pharaones.*

b *Moſes dicitur propriè, Moyſes vero, impropriè.*

c *Sina.*

d *Primũ virgæ ſuæ paſtoralis in colubrum. 2. manus in lepram. 3. aquæ fluminis Nili in ſanguinem.*

Digitized by Google

ſe parumper Moſes, præſertim impedimento linguæ, excuſare nititur: verum iraſcente Deo acquieſcens, in Ægyptum proficiſcitur. Frater Aaron in via occurrit: cum quo inceptum iter pergens, ad Pharaonem venit. Sed ille, Dei legationem ſimul & voluntatem contemnens; ex eo, grauius adhuc Hebræos excruciat. Moſes tamen, iterum, ſed cum ſigno conuerſionis virgæ ſuæ in colubrum, ad eundem reuertitur. Verum, & etiam fruſtra. Tandem iratus Deus, quod poſt tot tantaque miracula, adhuc ſuæ voluntati reluctaretur, nec Hebræum populum, liberum dimitteret; eum, modis omnibus affligere decernit. Ac primo [a], aquas omnes antea Ægyptiis potabiles, in ſanguinem, (idque vt & alia, per Moſem) integro ſeptem dierum ſpatio,

[a] *Huius, vt & aliarum plagarum, fuerunt immunes Hebræi, vt & aduenæ omnes.*

conuertit: Ranas, culices, & ſimile id genus non minus importunum, vbique procreat: peſte, omnia Ægyptiorum animantia conficit: veſicas, & vlcera, in omnium corporibus excitat: de cœlo intonat, grandinem fulguribus mixtam depluit, fulmina iaculatur: locuſtas per agros immittit: nec ſatis, tenebras triduanas & quaſi palpabiles, per vniuerſam Ægypti terram inducit: ſed adeo horribiles, vt iam Pharao ſæuiora timens, Hebræos abire permittat. Nihilominus, omnium etiam pecorum miſſionem, vrgente Moſe, rurſus magis indureſcit: imò eidem Moſi mortem minitatur. Quare Deus iam omnio infenſus, ipſum, pœna vt vltima, ita & omnium acerbiſſima, ſibi obedientem reddere, etiam inuitum ſtatuit: verum prius Moſem, de iis omnibus quæ acturus erat, admo-

ionet. Primò, menſem [a] illum, uem tunc Hebræi præſentem abebant, iubet in poſterũ, priuum omnium apud eos reputa-. Secundò, eiuſdem menſis die ecimo, ſtatim Agnum per ſinulas familias præparare [b]: eiuſem menſis die decimo quarto nmolandum & comedendum. 'ertiò, ſolemnes ſeptem Aziiorum ferias, abhinc celebranas inſtituit. Quartò, ei Deus, iturum Ægyptiorum exitium :uelat. Ac tandem, illis omniius, vt præceptum fuerat, per-ctis: Agno, die dicta, immolato : manducato : omnium etiam ebræorum oſtiis, poſtibus, & perliminaribus, ipſius Agni nguine, ad diſcrimen [c] illitis: edia nocte, quidquid erat priogenitum, ſiue in hominibus, ie in animantibus, à primogeto Pharaonis, morte percu-t. Qui huc vſque ſemper obſti-

a *Puta Niſan, qui reſpõdet noſtro, partim Martio, partim Aprili.*

b *Et hoc in poſterũ ſingulis annis, ad memoriam exitus huius ab Ægypto.*

c *In hoc enim differebant ab Ægyptijs, & ſic euadebant percuſſorem Angelum.*

natus, iam tanta hominum ſtrage ſtupefactus, timens ne ſibĩ ſimile omnino eueniret: Hebræos ſtatim non modo permittit, verum etiam vnà cum ouibus & armentis, eorum denique omnibus, egredi compellit. Sed ille, maiori dolori & vindictæ reſeruatur. Poſtea enim, Hebræos vndequaque cinctos detineri intelligẽs, eoſdem ideo, animo adhuc obſtinato perſequitur: at præterquam quod ſperabat, mari vtrimque in montis ſpeciem, à dextra læuaque ſublato, ipſis viam exhibente; ab eodem contrá ſubito recurrente, vnà cum ſuis omnibus obruitur. Neque hoc, Hebræos conturbat aut remoratur. Imò ex eo hilariores, poſt actas Deo pro tanto beneficio gratias, iter ſuũ vt antea (Angelo ſemper veluti duce, per diem in columna nubis, & per noctem in columna

Exitus ab Ægypto.

Digitized by Google

gnis, præeunte) perſequentes; in Mara veniunt. Vnde poſt amaras aquas, in dulces per Moſem conuerſas, & accepta quædam à Deo præcepta & iudicia, egreſſi: ſuam in Elim ſtationem, conſtituunt. Nec etiam diu: nam ſtatim, columnam ſuam abhinc motam ſequentes, in deſertum Sin (non longè à mari rubro & monte Sinai, imo inter vtrumque) proficiſcuntur. Ibi pariter cum ea ſubſidentes: Deus, deficiente tandem omni alimonia, per quadraginta [redacted], (ſabbathis tantummodo, ad maiorem eorum quietem & religionem exceptis) manna [a] de cœlis in ſimilitudinem coriãdri depluente [b],

a *Album erat & pellucidũ, guſtuſque eius, ſimilæ cum melle.*

b *Ea conditione, Primo, vt colligerent ſummo mane, antequam ſol incaleſceret, alioquin liqueſcebat. Secũdo, vt ex eo colligeret vnuſquiſque quantum ſufficeret ad veſcendum, nec plus, neç minus, nihilque ex eo, relinqueretur in ſequentem diem, ſecus putreſcebat. Tertio, vt colligerent die 6. puta veneris cibos duplices, quantum ſufficeret, & pro die 6. & pro Sabbatho, in eo enim die non depluebat manna, ad quietem, &c.*

reficit. Abhinc nihilominus pariter poſtea egreſſi, veniunt in Raphidim: vbi Moſes, & iuſſu Dei percutiens petram, aquas ex ipſa, in gratiam populi ſitientis elicit, & eiuſdem Dei auxilium deprecatus, Amalechitas facto exercitu irruentes, in fugam conuertit: Eo etiam loci ſimul & temporis, monitu ſoceri Raguelis, cum ſenioribus, vniuerſum populi regimen partitur: eos ſuper minora plebis negotia, iudices conſtituit: Sibi vero, maiora, maximeque ad Deum pertinentia, tantummodo diſceptanda, relinquit. Tandem, poſt plures adhuc alias atque alias ſtationes, Hebræi, ad Sinaïcum vſque deſertum profecti, ad radices ipſius montis, ſua caſtra conſtituunt *a*. Moſes vero recordatus, Deum ſibi quondam illic apparuiſſe *b*, hunc eundem impreſentiarum con-

a Tertio menſe ab exitu ex Ægypto,

b Inde enim, fuerat miſſus ad Pharaonem.

ſulturus, ſupra, ſolus aſcendit: ſtatimque reuerſus, accepta Dei voluntate, populum ſanctificat, & ad ipſius legem reuerenter excipiendam, excitat. Quo facto & Hebræis omnibus ad vnum conuocatis: nulla mora, Deus, ex ipſius montis faſtigio, micantibus vndique fulguribus, Decalogum [a] promulgat. Verum, iiſdem poſtea omnino perterritis, vt qui non poſſent amplius Dei vocem, præ nimia maieſtate ſuſtinere, reclamantibus: Moſes, ideo futurus veluti diuinæ voluntatis internuntius, iterum vt antea, in montem aſcẽdit. Deus autem, ipſum de omnibus quæ ad populum referret, ibidem inſtruit. Imprimis, iubet ſibi fieri altare; ſed tantum ex terra, vel ſaltem ex lapide inſecto, & impolito. Dehinc, dat præcepta circa ſeruos, & ancillas: circa furta, homicidia, parentum ma-

a *Ego ſum Dominus Deus tuus &c.*

ledicta, & rixas: fert talionis legem, tam homini lædenti, quam boui cornupetæ. Poſtea, ſancit leges de depoſito, de commodato, de fornicatione, de maleficiis, de charitate erga peregrinos, viduas, & pupillos, de vſura, & pignore, de decimis & frugum primitiis, de perſonarum & munerum acceptione fugienda: denique de Sabbatho ſeptimi anni, & tribus etiam feſtis cuiuſque anni præcipuis, Paſchate, Pentecoſte, & feſto tabernaculorum, celebrandis. Nec ſatis, poſt hæc, & legibus illis iam ad populum ralatis, rurſus iubet Moſem in montem aſccndere: eique traditis tabulis legis lapideis, ſequentia inſuper ceremonialia [a] præcepta, per quadraginta dies dictitat. Primò, arcam [b] cum ſuo propitiatorio [c], mēſam etiam

a *Iam enim Moſes, à Deo acceperat moralia & iudicialia.*

b *Arca debebat eſſe quadrangula, intus & foris, auro mundiſſimo deaurata, etiã supernè omnino patens.*

c *Propitiatórium autẽ, erat veluti ipſius arcæ operculũ, ex auro ſolido, ſupra quod, duo erant Cherubini, expanſis alis, illud totum contegentes: ita vt eo ſtatu, quaſi ſedem, Deo exhibere viderentur.*

Digitized by Google

duodecim panum propoſitionis, & cãdelabrũ ſepticeps fieri præcipit. Secundò, fabricam tabernaculi in hunc modum erigendi, præſcribit. Scilicet vt primùm, in duas partes diuidatur: in ſanctum, quod viginti cubitos habeat in longitudine, & in Sanctũ Sanctorum, quod decem: vt cõponatur ex quadraginta octo tabulis ligneis, ſed inauratis, ad parietis modum erectis, quarum viginti, porrigantur ad meridiem, totidem, ad ſeptentrionem in aduerſo latere, & octo, ad occidentem quæ ſit pars latitudinis, verum nullæ, in parte orientali qua pateat ingreſſus tabernaculi, ſed earum loco, quinque erigantur colomnæ, circa quas, velum etiam obducatur: præterea, vt tabernaculum tam ſupernè, quam ad latera contegatur [a]: vt in ipſa priori tabernaculi parte, altare quoddam

a Primò, decem cortinis, ex byſſo, cocco & purpura. Secundò, vndecim ſagis ſiue ſtragulis cilicinis. Tertiò, pellibus arietũ rubricatis. Quartò, pellibus hyanthinis cõtra procellas.

Digitized by Google

thymiamatis, è regione Sancti Sanctorum extruatur: ad cuius vtrumque latus, & candelabrum,& menſa panum propoſitionis,collocetur: vt in ipſo Sancto Sanctorum, arca tabulas legis continens, cum propitiatorio, reponatur: inſuper, vt ante tabernaculum, ingens atrium ſupernè patens, ſed ſuis pariter columnis & cortinis ad latera cinctum, porrigatur: in huiuſce autem atrij medio, altare holocauſtorum, ex lignis ære interius & exterius obductis, erigatur: cauum intrinſecus & ſupernè patens, ideoque ænea craticula, in modum retis obtegendum, ex qua in ipſo altaris medio, foculus æneus dependeat, vbi ligna, ad victimas comburẽdas ipſi craticulæ ſuperpoſitas, collocentur: Demum, vt ſingulis noctibus, lucernæ candelabri, in priori parte tabernaculi accen-

Digitized by Google

cendantur. Tertiò, eum Deus inſtruit de veſtibus ſacerdotalibus, tum Pontificis, tum minorum ſacerdotum, Ephod ſcilicet, Rationali, Tunica denique, & Tyara: hoc ordine, vt primò pontifex linea femoralia induat, ſuper hæc, tunicam lineam, eamque zona ſtringendam iniiciat, poſtea tunicam hyacinthinã ſuperinduat, ex cuius ſũmitate per circuitum, mala punica, alternatim cum tintinnabulis dependeant, ſuper hanc iterum, Ephod thoracis inſtar, cum Rationali *a*, ſecunda zona accingat, denique Tyaram capiti imponat, cui aurea lamina, cum hac inſcriptione, SANCTVM DOMINO, affigatur. Quartò, docet Moſem, quomodo ſe gerere debeat in conſecratione Aaronis, & filiorũ eius in ſacerdotes. Quintò, præſcribit ei ſacrificium Agni, tam manè, quam veſperè immolandi.

a *In eo autem rationali, erãt duodecim gẽmæ auro incluſæ, ſingulæ ſingula filiorum Iſraël nomina, referentes, & inſculptũ etiam, doctrina & veritas.*

Denique Beseleel & Ooliab, huiuſce tabernaculi artifices futuros, reuelat. Interea tardante nimium Moſe, Hebræi, vitulum aureum cõflant & adorant. Hinc Deus, vult eos diſperdere: orat pro eis Moſes, ac deſcendens de monte, iratus, legis tabulas frangit, vitulum cõburit, idololatras occidit, & altero die reuerſus ad Dominum, iteratò, pro populo precatur, per quadraginta alios dies; quibus euolutis, Deus ſuæ iam veluti immemor iniuriæ, & renouato cum ipſis Hebræis fœdere, Moſem ad eos vt antea, cum ſecundis Decalogi tabulis remittit. Qui cornuta, vel potius radiante ex conſortio diuini ſermonis facie, rurſus ei præcepta Dei promulgat: de Sabbatho, primitiis, & maximè de oblatione & fabricatione tabernaculi. Vnde ſtatim omnibus, ad tabernaculi ædificationem ne-

Digitized by Google

ceſſaria offerentibus: Beſeleel & Ooliab, illud, ſecundum quod nuper fuerat præceptum, poſt menſes ſeptem, tandem aliquando extruunt, poſtea ſemper, columna, itineris eorum duce, obumbratum. Et ex eo tempore Deus, Moſem, non iam in monte Sinai vt antea, ſed in ipſo tabernaculo ſemper alloquitur. Ibi eum, de reliquis ceremonialibus præceptis inſtituit: præſertimque de multiplici ſacrificiorum genere. Primò, holocauſti, eiuſque triplicis: boum, ouium vel caprarum, denique auium, puta columbarum & turturum. Secundò, Minchæ ſeu ſacrificij farrei [a]. Tertiò, hoſtiæ [b] pacificæ, etiam adhuc triplicis: bouis, ouis, & capræ. Quartò, hoſtiæ

Hîc initium Leuitici.

a *Panum, puta ſimilæ.*

b *In hoc ſacrificio illud notandum erat, quod ex victima, adeps & ſanguis Deo adolebatur, pectus & armus dexter, cedebat ſacerdoti ſacrificanti, reliqua vero caro, laïcis eam offerentibus: & per hoc, à cæteris diſtinguebatur.*

pro peccato per ignorantiam commiſſo, & quadruplicis. Primæ, vituli immaculati pro peccato Pontificis. Secundæ, pariter vituli pro peccato populi. Tertiæ, hirci pro peccato Principis. Quartæ, denique & vltimæ, ouis indifferenter vel capræ pro peccato plebei expiando, immolandæ. Quintò, hoſtiæ pro peccato ſcienter admiſſo, eiuſque tantum vnius, puta arietis immaculati, ſed pro menſura & æſtimatione delicti, offerēdi. Iis peractis, Aaron, vnà cum ſuis filiis in ſacerdotem conſecratus, oblatis pro ſe & omni populo victimis, ad earum conſummationem, poſt multas preces, ignem è cœlis euocat: quem *a* quia Nadab & Abiu thurificantes eodem die, non adhibent, externum contrà & prophanum inferentes: eodem cœ-

a Nota hūc ignem è cœlis euocatum, debuiſſe à ſacerdotibus ſumma cura, appoſitis lignis, aliyſque fomentis, iugiter conſeruari, nec alio, in ſacrificiys vti, licitū fuiſſe: & ideo, Nadab & Abiu contrà facientes plectūtur.

leſti igne afflati & conſumpti, moriuntur. Nihilominus, ipſos, Deus plangi vetat à ſacerdotibus: quibus etiam tabernaculum ingreſſuris, vinum & ſiceram prohibet. Inde Moſi adhuc apparens, (prius tamen animalium mundorum, ab immundis diſcretione *a* ſancita & prȩcepta) puerperarum purificationis, earumque oblationis ritum, præſcribit: & deſcriptis etiam ſignis, ſeptemque lepræ ſpeciebus, dat quinque leproſo obſeruanda. Primùm, vt non niſi veſtibus diſſutis induatur. Secundùm, caput retectum habeat. Tertiùm, os continuo premat. Quartùm, clamet ſe ſordidum. Quintùm, ſolus habitet extra caſtra, vſque quo lepra iam curata, veniat ad ſacerdotem expiandus. Deinde aliis omnino omnibus præceptis purificationibus *b*, feſtum

a *Animalibus enim tantum mundis, veſci licitum fuit: non immundis.*

b *Puta ſeminiflui, menſtruatæ & hemorroiſſæ.*

expiationis *a* inſtituit: tum ob peccatum irreuerētiæ, à duobus Aaron filiis, nuper in tabernaculo perpetratum, tum ob generalem peccatorum aliorum, toto anno, tam à ſacerdotibus, quam à populo, commiſſorum ſatisfactionem, ſingulis annis, decima menſis ſeptimi die, celebrandum. Etiam gradus conſanguinitatis & affinitatis, quibus matrimonium contrahere non li-

a *In hoc feſto multæ erant ceremoniæ. Primò, die dicto, Pontifex, pro ſuo peccato vitulũ & arietem in holocauſtum adductos, lotis manibus & pedibus, veſtibus tantum minorum ſacerdotum indutus, Deo, ad oſtium tabernaculi offerebat. Secundò, quibuſdam è ſenioribus, nomine totius populi, arietem in holocauſtum, & duos hircos pro peccato offerentibus, miſſa ſuper eos ſorte, vter eſſet offerendus, & vter emiſſarius, decernebat. Tertiò, ſorte facta, iugulabat vitulum ſuum pro peccato, & hircum populi cui ſors ceciderat. Quartò, ex vtriuſque vituli & hirci commixto ſanguine, ſepties propitiatorium reſpergebat. Quintò, caprum emiſſarium, confeßione & imprecatione facta, in deſertum emittebat. Vltimo, lauato corpore & indutus veſtibus pontificialibus, ſuum & populi arietem, Deo immolabat.*

Digitized by Google

cet, præſcribit. Sodomiam, adulterium, & beſtialitatem vetat, omnino, quædam adhuc de nouo, tum iudicialia, tum moralia præcepta, cõſtituit. Idololatras, magos conſulentes, maledicentes parentibus, inceſtos, eos denique omnes, in ſupradictis conſanguinitatis & affinitatis gradibus matrimonium contrahentes morte [a] plectendos decernit. Sacerdotes, ab omnibus, etiam patris vel matris funeribus, & planctu, abſtinere iubet: Eoſdem, omni macula vel vitio carere in corpore, ſtatuit: Summum verò Pontificem, nullam niſi virginem & nobilem, in vxorem ducere, præcipit. Præterea, feſta omnia Hebræis celebranda recenſet. Primò, Sabbathum. Secundò, Paſcha ſeu feſtum [b] Azimorum. Tertiò, Pen-

a *Lapidatione.*

b *A veſpera decima quartæ diei, menſis primi, puta Martij, ad 21. eiuſdem menſis diem.*

techoſten *a*. Quartò, feſtũ *b* Tubarum. Quintò, Expiationis *c*. Sextò, Tabernaculorum *d*. Septimò, cœtus *e* ſiue collectæ omnium populorum: qua die, ab omnibus in tabernaculo congregatis, gratias ſibi, pro tam fœlici in deſerto peregrinatione, ſolemnibus victimis, referri conſtituit. Denique, deſcripto terræ Sabbatho, ſeptimo quoque anno, vnà cum Iubilæo, ſed ſingulis quinquaginta annis, celebrando: & multis iterum benedictionibus, Hebræis leges ſuas ſeruantibus, vt econtrà, maledictionibus repromiſſis: reliquum de votis, & decimis fructuum omnium offerendis, ſancire

a *Decimo ſexto menſis 3. die, ſeu diebus 50. à feſto azimorũ.*

b *Prima die menſis ſeptimi, puta Septembris.*

c *Decimo eiuſdem mẽſis die.*

d *Eiuſdem menſis 15. die: in hoc feſto, per ſeptem dies, in tabernaculis ex palis constructis, extra vrbem habitabant, in memoriam protectionis diuinæ, qua in deſerto, ſine domibus, in tabernaculis, per 40. annos vixerant.*

e *Hoc feſtum erat quaſi octaua feſti tabernaculorum, ideoque octo abhinc diebus celebrandum.*

ſcire perficit. Poſt hæc, Moſes, eiuſdem Dei iuſſu, Hebræis omnibus, à vigeſimo anno & ſupra, ad ſexcenta tria millia cum quingentis & quinquaginta, recenſitis: duodecim eorum tribuum caſtra, per quatuor mundi plagas, veluti in totidem acies, circa tabernaculum diſponit. Omnino, tres tribus, ad quodque tabernaculi latus collocat. Ad orientale, tribus Iudæ, Iſſachar, & Zabulonis: Ad auſtrale, Rubeni, Symeonis, & Gad: Ad occidentale, Ephraim, Manaſſes, & Beniamini: Denique ad ſeptentrionale, reliquas, Dan, Aſer, & Nephtali, componit. Leuitis [a] autem, (vt & fœminis, ſimul cum pueris) ab hoc priori cenſu exceptis, nihilominus etiam poſtea, ad viginti duo millia, à menſe vno & ſupra, numeratis: ſingulis, ſingula circa res tabernaculi officia, diſtribuit.

Initium numerorum.

a *Id eſt ijs, qui ex tribu Leui prognati fuerunt, quos ſibi Deus in ſacerdotes elegit.*

Digitized by Google

CAATHITIS *a*, primo eorum ordini, vaſa ſacra, altare ſcilicet vtrumque, Arcam, menſam, & candelabrum: aliis vero duobus eorumdem ordinibus, ipſas tum atrii, tum tabernaculi partes: ſed GERSONITIS, molliores, puta vela & cortinas, cum ſuis funibus: MERARITIS autem, ſolidiores, videlicet tabulas, columnas, baſes & vectes cuſtodiendos, & in profectione *b* portandos, aſſignat. Binas etiam præterea tubas argenteas, ad populum vbique conuocandum, ex eiuſdem adhuc Dei præcepto conficiendas, curat. Ac tandem poſtea, columnam ſeſe paulatim ex Sina mouentem, animaduertens: exinde pariter, caſtra moueri iubet *c*: & cum eadem, ſtatim poſt tres dies, in ſolitudine Pharan quiſcente; etiam ſuos ſiſtere, nec vlterius progredi præcipit. Ibi murmurātibus præ

a *Id eſt deſcēdentibus a patre Caath, filio Leui; & ſic de reliquis.*

b *Quando mouēda eſſent caſtra, & aſportādum tabernaculum.*

c *Die vigeſima menſis ſecundi, anni pariter egreſſionis ex Ægypto, ſecundi.*

Digitized by Google

carnis inopia Hebræis, Deus, menſe integro, coturnices immittit: ſub ipſius tamen menſis fine, murmurantes, in ſceleris ſui pœnam, igne immiſſo, diuinitus conſumpti moriuntur. Interim populus impatiens & forte diffidens, viros in Chanaam mitti poſtulat: qui terræ illius, ſibi tamdiu promiſſæ, ſtatum & qualitates referant. Annuit Deus, ideoque iubente ipſo, duodecim ex omnibus tribubus electi, mittuntur exploratores: qui reuerſi, botrum quidem in vno vecte, ad ipſius terræ fertilitatem, referunt; ſed ea de incolarum proceritate & robore, (fruſtra Caleb, vno ex ipſis renitente) falſò renuntiant: quibus, cunctus populus animo conſternatus, iam deſperata regionis ipſius poſſeſſione, in Ægyptum regredi meditatur. Quare iratus Deus, vult eos perdere. Verum orante Mo-

ſe, parcit: cum hac tamen pœna, vt nemo ex omni multitudine, nuper in deſerto numerata, præter Ioſue & Calebum, terram promiſſam poſtea ſit ingreſſurus. Et exinde Hebræi, nequaquam amplius rectà vt antea, ad Chananeam tendentes *a*: vnà cum colũna, pariter verſus mare rubrum reuertuntur. Poſt hæc, CORE, DATHAN, & ABIRON, Moſi & Aaroni propter ſacerdotium inuidentes: cum pluribus aliis moriuntur. DATHAN & ABIRON viui in ſuis tabernaculis, vnà cum familiis, terra dehiſcente, abſorpti: ducenti vero & quinquaginta, ſimul cum CORE incenſum offerentes; in ipſo tabernaculo, cœleſtis ignis incẽdio conſumpti. Nec ſatis, ſed & etiam omni poſtea populo, ob tantam totque virorum ſtragem murmurante: adhuc, quatuordecim & amplius ex eo homi-

a *Hoc agebat Deus, ſcilicet vt hac ratione per longum iter circunducti, omnes qui eum offenderant, toto iſto tempore morerentur, priuſquã, ad terram promiſſam peruenirentur.*

num millia, igne pariter abſumuntur. His etiam peractis, & Aarone, nihil ſuperiori impediente inuidia, imò, nouo frondentis virgæ ſuæ inter cæteras miraculo [a], magis adhuc in ſacerdotio confirmato: Deus, victimas omnes, primitias, & oblationes, ſacerdotibus in eorum alimoniam & ſtipendium conſignat. Leuitis verò decimas; ea tamen conditione, vt ipſi ex ſuis decimis, rurſus alias eaſque meliores, iiſdem ſacerdotibus offerant, condonat. Interim, dum annus ab exitu quadrageſimus ageretur: Hebræi, poſt multas manſiones in deſerto, tandem veniunt in Cades. Ibi Maria, anno ætatis ſuæ 130. moritur: & Moſes ſimul & Aaron increduli, petram, cui ad eliciendas aquas loqui tãtum, iubente Deo debuerant, virga percutientes: in ſui criminis pœnam, ingreſſu

a *Hoc enim pactum, ad litem illã de ſacerdotio dirimendam, poſtea inierat cum populo, per Moſem Deus.*

terræ promiſſæ prohibẽtur. Atque ideo, ſtatim in monte Hor, primus Aaron (Eleaſaro filio, in ipſius locum ſuffecto) moritur, anno ætatis 123. Inde verſus mare rubrum, per circuitum terræ Edom proficiſcentibus, complures eorum, viæ ac laboris tædio, Moſi adhuc obmurmurantes: igneis ſerpentibus diuinitus immiſſis, inconſtantiæ ac temeritatis ſuæ pœnas luunt. Nihilominus, Moſes ipſe, propitiato poſtea precibus Deo, eius monitu, æneum ſerpẽtem in medio collocat: cuius aſpectu, ſaucij, ſanitatem recuperant. Tandem poſt alias adhuc atque alias ſtationes, Hebræi veniunt ad vallem regionis Moab, in extremis deſerti finibus. Ibi Sehon & Og Reges, ſibi tranſitum denegantes, fortiter debellant: & ciuitates eorum inuadentes, habitatoribus expulſis, pœnitus ſubuer-

tunt. Quod intelligens etiam Rex Moabitarum, veritus ne quid ſimile cum ipſis pateretur: Balaam ariolũ, (iuxta Euphratem in Meſopotamia degentem) ad Hebræis maledicendum vocat. Qui econtrà, ab ipſo Deo ſibi per Angelum apparente, & aſina etiam cui inſidebat, in via per miraculum loquente, admonitus: eiſdem iterum ac tertiò benedicit. Eos, tum à religione, tum à fortitudine laudat: ſed præſertim ab ipſius Dei adiutorio; in quo, omnes adhuc eorũdem victorias prædicit. Quare Rex ipſe iratus, alia prorſus arte vtitur [a]. Formoſas filias, ad Hebræorũ caſtra ſubmittit; hac ratione, putans eos in luxuriam, & inde in idololatriam pelliciẽdos: ſicque ab irato Deo, penitus deſerendos. Nec fruſtra: imò, res ex ipſius animi ſententia ſuccedit. Hebræorũ plurimi,

a *Ne ab Hebræis etiam ſuperaretur.*

puellarum ipſarum pulchritudine, ornatu, & blanditiis capti, cum iis fornicantur: etiam earum idolo ſacrificant. Vnde ad viginti quatuor millia, partim à Moſe ſuſpenduntur: partim immiſſa peſtilẽtia, moriuntur. Phinees tamen Eleaſari filius, duobus, adhuc poſtea in conſpectu omnium fornicantibus, propria manu trucidatis: Deum tandem reddit, vt antea, propitium. His peractis, & eodem anno ſcilicet quadrageſimo, Hebræi [a], iique tantum apti ad arma, & bella, cum Chananeis iam iam gerenda, à viginti annis & ſupra, per ſingulas tribus, ad ſeptingenta & amplius millia, (iuxta Iordanem contra Iericho) iterum ac tertiò [b] numerantur. Moſes autem, in montem Abarim aſcendens, & ex eo (Deo præcipien-

a Non ij qui prius fuerunt cenſi in Sina: nulli enim eorũ, vt pote iam defunctorũ, hîc præter Calebum & Ioſue comprehẽduntur.

b Iam enim per duas vices numerati fuerant. Prima, vice in fabrica tabernaculi; Secunda, vero cum ordinatæ ſunt acies ad pugnandum, & ad caſtra metendum.

piente) promiſſam Chananeæ ſedem intuitus *a*, iam iam poſtea moriturus; impoſitis ſuper Ioſue manibus, eum totius populi ducem, ſui loco conſtituit. Et ſancita lege de votis filiarum & vxorum, marito vel patre extemplo contradicente, irritis: mille viros, de ſingulis tribubus electos, ad bellum (duce Phinees) contra Madianitas mittit. Rubenitis etiam & Gadditis, terram Galaad *b* cis Iordanem, vt pote maximè compaſcuam *c*, ſibi pro ſorte dari petentibus: perſpecta eorum mentis ſynceritate *d*, tribuit; ea tamen lege & conditione: vt ipſi poſtea armati, cæteras tribus præeundo, in Chananæam inducant. Denique, deſcriptis terræ promiſſæ terminis: puta ab Oriente, mari

a *Hoc enim ſolũ ipſi ſupererat, videre terram, cuius ingreſſus ſibi nuper fuerat interdictus.*

b *Quam nuper Sehon & Og Regibus, ademerãt Hebræi.*

c *Rubenitæ enim & Gadditæ, multitudine pecorum abũdabant.*

d *Putabat enim Moſes, ex timore Chananeorum, & bellorum cum eis ineundorum, nolle pergere trans Iordanem: & ideo hanc ſibi terram, cis Iordanem aſsignari poſtulare.*

Digitized by Google

mortuo;ab Occidente,mari mediterraneo; à Meridie, torrente Ægypti; à Septẽtrione, Libano; Duodecim viros,Deo ipſi reuelante,nominat, qui vnà cum Ioſue & Eleaſaro, terram hanc, Hebræis ſorte diuidant: Leuitis vero, quadraginta octo vrbes ad habitandum, vnà cum ſuburbanis, ad alenda pecora, concedant: ex quibus, ſex tantummodo pro azilo, vbi homicidæ [a], ad mortem vſque pontificis ſecuri maneant, deſignentur. Tandem, morte adhuc magis ac magis in dies appropinquante, iam vltimum, ſuis, ſibique cõmiſſis Hebræis, valedicturus: eis, iterum cuncta Dei præcepta ſummatim repetit, & Decalogum inculcat: maiora quam huc vſque receperint beneficia, promittens; ſi legibus Dei, & mandatis obediant: & viciſſim mala, quam huc vſque viderint, acerbiora, ſi

[a] *Non voluntarij, horũ enim nullũ erat azilum, ſed vbicũque occidebantur.*

Hîc initiũ Deuteronomij.

Deum,eiuſque leges deſerendo, ad idola ſe conuertant. Quare hortatur, vt non vbilibet, in montibus & lucis, vti faciunt idololatræ, ſed in vno tantum loco,ad id inſtituto; ſacrificent. Imò,Pſeudoprophetam,& amicum ſuadētem cultum Dei alieni, occidi & lapidari præcipit: vrbem vero, quæ Deum alienum coluit, funditus deletam comburri.Etiam,diuinos,& maleficos conſuli vetat. Et inde,repetitis, vt iam dixi, breuiter, omnibus veteribus præceptis: noua quædam, inſuper promulgat. Ac primò iubet, vt Reges electi, deſcriptum ſibi Deuteronomium, ſæpius relegant. Secundò,vt in omni extra Chananæam,vrbe,bello capta,maſculi omnes,reſeruatis infantibus; in Chananæa vero, omnes etiam fœminæ & infantes occidantur. Tertiò, vt expietur homicidium

mortuo; ab Occidente, mari mediterraneo; à Meridie, torrente Ægypti; à Septẽtrione, Libano; Duodecim viros, Deo ipſi reuelante, nominat, qui vnà cum Ioſue & Eleaſaro, terram hanc, Hebræis ſorte diuidant: Leuitis vero, quadraginta octo vrbes ad habitandum, vnà cum ſuburbanis, ad alenda pecora, concedant: ex quibus, ſex tantummodo pro azilo, vbi homicidæ [a], ad mortem vſque pontificis ſecuri maneant, deſignentur. Tandem, morte adhuc magis ac magis in dies appropinquante, iam vltimum, ſuis, ſibique cõmiſſis Hebræis, valedicturus: eis, iterum cuncta Dei præcepta ſummatim repetit, & Decalogum inculcat: maiora quam huc vſque receperint beneficia, promittens; ſi legibus Dei, & mandatis obediant: & viciſſim mala, quam huc vſque viderint, acerbiora, ſi

a *Non voluntarij, horũ enim nullũ erat azilum, ſed vbicũque occidebantur.*

Hîc initiũ Deuteronomij.

Digitized by Google

Deum, eiuſque leges deſerendo, ad idola ſe conuertant. Quare hortatur, vt non vbilibet, in montibus & lucis, vti faciunt idololatræ, ſed in vno tantum loco, ad id inſtituto; ſacrificent. Imò, Pſeudoprophetam, & amicum ſuadētem cultum Dei alieni, occidi & lapidari præcipit: vrbem vero, quæ Deum alienum coluit, funditus deletam comburri. Etiam, diuinos, & maleficos conſuli vetat. Et inde, repetitis, vt iam dixi, breuiter, omnibus veteribus præceptis: noua quædam, inſuper promulgat. Ac primò iubet, vt Reges electi, deſcriptum ſibi Deuteronomium, ſæpius relegant. Secundò, vt in omni extra Chananæam, vrbe, bello capta, maſculi omnes, reſeruatis infantibus; in Chananæa vero, omnes etiam fœminæ & infantes occidantur. Tertiò, vt expietur homicidium

occultum, per mactationem vitulæ, & proteſtationem magiſtratuum, auctorem homicidij neſcientium. Quartò, vt captiua in vxorem ducenda, cæſariem radat, & vngues circuncidat. Quintò, vt vir duas habens vxores, amicam & odioſam: filio tamen odioſæ, ſi ſit primogenitus, conſignet primogenita. Sextò, vt filius contumax, & perditus lapidetur. Septimò, vt corpora ſuſpenſorum, eadem die, ad eorum nominis obliuionem, ſepeliantur. Octauò, fert leges de miſericordia, etiam in beſtias exercenda: de boue in via iacente, ſubleuando: de non capienda matre, cum pullis: de non arando in boue & aſino: ne cùm eorum vires, ſint inæquales; aſinus aſſociatus boui, plus æquo grauetur. Et hæc omnia, ad hoc vt erga pecudes & beſtias, præexercita humanitas,

in hominum refrigeria erudiretur. Nonò iubet, vt nec mulier, veſte virili; nec vir, veſte vtatur fœminea. Decimò, vt ſponſus, falſò obiiciens ſponſæ fornicationem; verberibus cæſus, pretium inſuper aliquod ſoluat: adulter vero & adultera, lapidentur. Vndecimò, vt qui vim infert virgini, nondum deſponſatæ; pretio pariter ſoluto, eam in vxorem ducat. Duodecimò, enuchos, ſpurios, Moabitas & Ammonitas, arcet ab Eccleſia Dei, & omnem ſcortationem, prohibet. Decimo tertiò, permittit viris, vxores ſuas, propter aliquas inſigniores, animi, vel corporis fœditates, repudiare: ita tamen, vt poſtea viciſſim poſſit, & maritus repudians, alteri nubere coniugi; & vxor repudiata, alteri nubere marito. Decimo quartò iubet, vt frater, fratri ſine liberis defuncto; ſemen, ex eius

Digitized by Google

vxore ſuſcitet: & ex ea primogenito, det nomen fratris ſui, ad æternam ipſius nominis memoriam. Decimo quintò, Deuteronomium lapidibus inſcriptũ, & vni arcæ lateri affictum; toti populo, anno ſeptimo remiſſionis, legi præcipit. Denique, dat eis canticum, ſibi à Deo reuelatum; in teſtimonium propriæ iniquitatis, & iuſtitiæ diuinæ ſæpius decantandum. Ac tandem, populo ſuo bene precatus, ſtatum cuiuſque eorum tribus, propheticè prænuntiando: in ipſo monte Abarim, repentina nube circundatus, moritur anno ætatis ſuæ 120.

Hîc finis eſt totius Pẽtateuchi, & libri Ioſue initium.

IOSVE autem, (filius Num, ex tribu Ephraim, in Ægypto natus) coram omnibus, paucis ante diebus, in populi rectorem electus: Moſi iam defuncto, ſuccedit. Ille, ſtatim à Deo, aduerſus gentes barbaras cõfortatus:

IOSVE.

Hebræos monet, vt ſe, ad Iordanis tranſitum præparent: tribus autem, Gad, Ruben, & dimidiam Manaſſe; vt iuxta pactum, à Moſe cum ipſis initum, armati, fratres præeundo, ad terram promiſſam deducant. Inde, eodem Deo iubente, duo mittuntur exploratores, Caleb ſcilicet & Phinees, in vrbem Iericho, ipſi Iordani finitimam: qui apud Rahab meretricem, hoſpitio recepti, & ab ea, propter inſequẽtes Ierichontinos, per feneſtram clanculum dimiſſi, ſicque liberati, promiſſa illi in excidione vrbis miſericordia, tãdem reuerſi; vnà cum iis omnibus quæ ſibi contigerant, magnum Chananæorum de Hebræis timorem, renuntiant. His tam fauſtis & fœlicibus nuntiis, magis adhuc animatus Ioſue, ſignũ mouendi caſtra, dari præcipit: quo audito, principes & omnis

Digitized by Google

populus, inceſſu militari, pergunt propè Iordanem: quem tandem poſt tres dies, diuinitus exſiccatum, arca præcedente, tranſmeant: erectis tamen priùs duodecim, in eius medio, ad tanti miraculi memoriam, lapidibus *a*. Inde, veniunt in Galgala: vbi ſinguli ad vnum circunciſi *b*, Phaſe, ſeptemque azimorū dies, ſeruato ritu celebrant *c*. Ipſe verò Ioſue, Chananæos penitus debellandos, aggreditur. Ac primò, ab Angelo, ſibi forte deambulanti, occurrente, admonitus: Ierichōtinum oppidum, muris, (arca fœderis ſepties circumlata) ad tubarum ſacerdotalium clangorem, & vniuerſi exercitus clamorem, corruentibus: funditus euertit, omnibus ad vnum, partim ferro, partim igni, voto applicatis: Rahab tantum cum ſuis, & omni metallo, ad Dei theſauros, reſeruata. Nec hîc con-

a *Ad modum titulorum erectis.*

b *Omnes enim illi vt pote in ſolitudine nati (præter Calebū & Ioſue) adhoc vſque tēpus incircūciſi remanſerant.*

c *Et ex eo tempore manna defecit.*

Digitized by Google

conſiſtit Ioſue: rectà ad vrbem a, ipſi priori propinquiorem, pariter inuadendam, proficiſcitur. Sed initio, Deo, propter inobedientiam b Acham, de tribu Iuda, irato; plures ex ſuis, aduerſo marte cæſi, fugantur. Nihilominus poſtea, expiato morte huiuſce viri, ſcelere: vrbs illa, quæ antea fuerat in excidium, iam occiſis ex ea, duodecim hominum millibus, & ipſo etiam Rege, in crucem ſuſpenſo, expugnata ſuccenditur. Inde, pergit adhuc Ioſue cum Hebræis, ad Gariſim & Hebal montes: vbi ædificato altari lapideo, holocauſta Deo offert: ex Deuteronomio, Decalogum, lapidibus calce illitis, inſcribit: ac coram omni populo, vtrimque diuiſo, benedictiones & maledictiones Moſaicas, repetit. Interim, hæc omnia intelligentes, cæteri Chananæorum Reges: fœdere inito,

a *Hai.*

b *Deus iuſſerat vt nihil ex vrbe Iericho retineretur, ſed omnia omnino partim ferro, partim igni applicarentur: ille vero Acham, contrà aliquid ex ea vrbe, furto ſuſtulerat.*

& iunctis inter ſe copiis, aduerſus Iſraëlitas puguare, decernunt. Sola vicina ciuitas Gabaonitarum, vnà ex Heueorum ditione, ab hoc conſilio (pacis, inito cum iiſdem Iſraëlitis, ad ſui ſalutem, fœdere) deficit. Quod reſciſcens Adoniſedech, Rex Hieruſalem, & huiuſce conſilij princeps; prius ad bellum ſociale, contra Gabaonem, quatuor Reges conuocat, Oham, Regem Hebron; Pharan, Regem Ierimoth; Iaphia, Regem Lachis; & Dabir, Regem Eglon. Verum Ioſue, ſtatim in auxiliũ occurrens, conductis omnibus ad vnum militibus, (Sole, per diem integrũ ſubſiſtente a) partim gladio, partim immiſſa grãdine lapidum, interfectis: hos etiam quinque Reges, iam iam vrbem inuadentes, comprehenſos; ad maiorem nominis ignominiam, ſuſpendit. Nec mora,

a *Ad maiorem huiuſce diei prorogationem: vt ſcilicet & occaſio elabendi, hoſtibus precluderetur; & integer Hebræis ſuus cõſtaret triumphus. Et hoc fuit inſigne miraculum à Ioſue perpetratum.*

oblatam ſibi ex illa victoria occaſionem, animaduertens: Macheda adhuc, cum quinque illorum ſuperiorum Regum vrbibus, multiſque aliis ciuitatibus, expugnat. Omnino, vniuerſam terram meridianam Chanaam, cum aliqua orientalis parte, occupat, Regibus etiam omnibus, & habitatoribus interfectis. Tandem, cum ſuis, in Galgalis ad caſtra redit. Neque tamen adhuc poſtea, omnibus illis ſuorũ exemplis, contentus Iabin, Rex Aſor: ad cæteros [a] omnes Reges, qui plurimi erant, verſus Aquilonem & occaſum, nuntios mittit. Sed & hi pariter omnes, ad lacum Merom congregati: ab Iſraelitis, (expugnatis poſtea etiam eorum vrbibus) trucidantur. Et ſic Ioſue, triginta & vno Regibus, à ſe interfectis: omnino, omnibus Palæſtinæ gẽtibus,

[a] *Nulli enim iam ſupererant ex vtroque alio latere.*

per ſeptem annos debellatis; ſuos tandem, in promiſſa maioribus ſede, collocat. Porro, expugnata tota terra illa Chanaam: multæ adhuc ſupererant, vicinæ vrbes expugnãdæ. Erantq́ ab occaſu, Palæſtini & Geſſurei, qui partes, antea in Chananæorum ditione poſitas, occupabant, iubente Deo, debellandi. Quæ omnia, adhuc Ioſue conſideranti, quod à ſe iam ſeneſcente, tot, tantæque adhuc reſtarent regiones, expugnandæ: curis inquam ita fluctuanti, tandem ſuccurrit Deus. Ætate grauem, iubet à pugnis ceſſare, tot populorum & Regum victoriis, glorioſum. Eum nihilominus interim, omnis terræ Iſraëlitis promiſſæ, tam acquiſitæ, quam nondum vndequaque expugnatæ, (vnà cum Eleaſaro, & duodecim viris, ex vnà quaque tribu

electis) partitionem, inter nouem [a] reliquas tribus [b], & dimidiam Manaſſe, ſortibus aggredi præcipit. Dictum, factum ſubſequitur. Ioſue, ſtatim ſingulas tribus, in Galgalis conuocat: & miſſis poſtea totidem in vrnam ſortibus, vnamquamque poſt aliam extrahens; ſingulis, ſuas partes diſtribuit. Quo facto, & Deo illi adhuc hoc præceptum faciente; tribus refugij ciuitatibus, Boſor in tribu Ruben, Ramoth in tribu Gad, & Gaulon in dimidia Manaſſes tribu, iam à Moſe, vltra Iordanem, deſignatis: totidem citra Iordanem, Cedes in tribu Nephtalim, Sichen in tribu Ephraim, & Hebron in tribu Iuda, ſupra dictis conditio-

a *Iam enim duabus tribubus & dimidiæ Manaſſe, ſors ſua per Moſem aſſignata fuerat.*

b *Inter eas non numeratur tribus Leui. Huic enim, Deus ipſe datur in hæreditatem, per victimas & primitias ipſi oblatas: nec pariter numeratur Ioſeph, ſed duo eius filij Ephraim & Manaſſes: hi enim iam antea à Iacobo morituro, alioquin nepotes, in proprios filios prophetice adoptati: iam in locum Leui & Ioſeph ſurrogati, duplicem ſortem accipiunt.*

nibus, conſtituit. Etiam, quod reliquum ſupererat, tribui Leui, ſeu potius, tribus Leuitarum familiis, vrbes *a* etiam in habitationem, non ſeorſim *b*, ſed in medio duodecim tribuum, aſſignat. Interim, his omnibus rectè conſtitutis, & parta de inimicis victoria, remiſſæ ad ſuas poſſeſſiones, trans Iordanem, tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe: idololatriæ ſuſpicionem, mouẽt cæteris tribubus, propter altare ad ſupra dictos Iordanis tumulos, erectum. Sed miſſi legati, eorum iuſtam excuſationem referunt. Tandem, multis abhinc annis euolutis: Ioſue ſenex, & iam mortis ſuæ tempus, inſtare præuidens; ne in aliqua officij parte, ſuis deeſſe videretur: concilium Iſraelitici populi, conuocat in Sichem: vbi eum, ab idolorum cultu, & alienigenarum pernicioſis affinitatibus, bonis

a *Maximè præſidiales & refugij.*
b *Hoc enim prædictũ fuerat, nec vlla erat propria eorum hæreditas.*

quæ pietatem conſequuntur, & malis quæ ab impietate promanant, vtrimque propoſitis, deterrendo: eundem ex commemoratione rerum, in ipſius gratiam, iam inde ab Abrahamo, in Ægypto, in ſolitudine, & in Chanaam, ab ipſo Deo geſtarum: ad religionem, & diuinum cultum perpetuo retinendum, allicit. Quibus peractis, & dimiſſo conuentu, moritur [a] anno ætatis ſuæ 110. Nec diu poſt, defunctis pariter illis populi ſenioribus, penes quos, etiam erat adminiſtratio Reipublicæ: noua Iſraelitarum ſuboritur poſteritas, ſed aliorum. Illi etenim, ad Deum eiuſque opera, in Ægypto, & in deſerto, mundo ſtupente patrata, parum vel nullo modo, attendentes: ad idola ſe conuertunt. Et præceptum, de euertendis penitus Chananæis, (abſque vlla pacti conditione) patribus ſuis

a Hoc eodem tẽpore oſſa Ioſeph, ex Ægypto huc vſque ſẽper aſportata: tãdem ſepeliuntur. Et Eleaſar etiã tunc temporis pontifex, moritur.

Incipit hîc liber iudicum.

iniunctum, contemnentes: cum eis fœdus ineunt, impoſita tributi conditione contenti; auaritiæ nimirum, legis obſequio poſt habito, ſtimulis excæcati. Idcirco iratus Deus, contra eos, gentes (etiam Chananæorum) alioquin ab ipſiſmet exterminádas, impellit. Et primò, Meſopotamiæ Regem: qui conflato exercitu, eos à ſe victos, & ad ſoluenda tributa coactos, ad puplicam inſuper ſeruitutem ſeruiendam, addicit. Nihilominus, eiuſdem Dei miſericordia, eorum iniquitati præualet. Virum poſtea, nomine Othoniel *a*, filiũ Cenez, ſuſcitat: per quem, oppreſſo illo Meſopotamiæ Tyrãno, ipſi in priſtinam libertatem vin-

Othoniel primus Iudex.

a *Hi omnes viri vt Othoniel & reliqui, dicti ſunt iudices, ſimul & ſaluatores: quia præterquam quod iudicabant, etiam eorum authoritate, Iſraëlitæ, iugum hoſtile à ſuis ceruicibus excutiebant.*

vindicati; in ea, (relictis priùs idolis,) per quadraginta annos, perſeuerant. Verum nec etiam diutius, mortuo quippe Othoniele, veluti iam ſuæ liberationis immemores, ad antiqua reuerſi crimina; Eglonis Moabitarum Regis, traduntur poteſtati: qui, coactis aduerſus eos, in vnam belli ſocietatem, Ammonitis & Amalechitis, tādem victor exiſtens; maioribus quam antea tributis, dominatur. Et hoc, eodem Deo permittente: qui tamen aliquādo, eorum adhuc res afflictas miſeratus; virum alium, nomine Aod, de tribu Beniamin, ſuſcitat: per quem, Rege Moab pariter interfecto, à miſera ſeruitute liberati; priſtinæ etiam paci, vt antea reſtituuntur. Nihilominus, & iſto poſtea mortuo, nullis iam ſuperioribus

Aod 2. Iudex.

Sangar 3. Iudex. *Non hîc tamen numeratur. Quia tam paruo tempore rexit, vt pro nihilo ſupputetur, ex Caietano.*

perterriti cladibus: iterum ad ſolita, imo grauiora peccata redeunt. Quare Deus, magis etiam quam antea iratus; eos, à Iabino, vno è Chananæorum Regibus, per viginti annos, miſera ſeruitute opprimi, permittit. Nec ideo tamen, penitus deſerit. Quin imò, ad ſe tandem gementes, iterum ac tertiò, paterna pluſquam benignitate, recipit. Omnino ab eiuſdem Regis tyrannide, per

Barac 4. Iudex. Debboram [a] & Baracum (tunc temporis iudicem) liberat. Iam quis fortè credit Hebræos, poſt tot tantaque à Deo collata beneficia, tandem aliquando reſipuiſſe? Sed proh dolor: longè aliter ſe res habet. Etiam adhuc, Debbora, & Baraco, penè vita functis; ad ſua flagitia, (incredibili peruicacia) ſolito more, recurrunt. Verum, eos pariter, ſta-

a *Illa enim, Deo inſpirante, cum Baraco (quem vbique conſilio ſuo, vt pote prophetiſſa adiuuabat) aduerſus Iabinum Regem ad bellum profecta, inſignem de eo victoriam reportat.*

Digitized by Google

tim pœna, quam huc vſque acerbior, ſubſequitur : crudeliſſima nimirũ, Madianitarum, & Ammonitarum hoſtium, alios longè immanitate ſuperantium, vexatio. Crudeliſſima inquam ; ſed tamen vtilis, & maximè profutura. Sic enim, quos iam toties rerum abundantia, & ſuperbia, ad Deum deſerendum, veluti commouerat ; iterum afflictio, ad eumdem cogit, vt antea recurrere : qui eorum adhuc gemitibus, emollitus, etiam quintum liberatorem, virum nomine Gedeonem, ſuſcitat. Ille, (non vt alij) exiguo tantùm militum numero, ſed inſigni prorſus ſtratagemate, Hebræis libertatem reſtituit. Viros tantum trecentos, aſſumit : eoſque tubis, lagenis, ac lampadibus veluti armis, inſtruens ; noctu, cum ipſis, ad hoſtium caſtra deſcendit : qui ſtatim tubarum ſonitu, inſolito

Gedeon 5. Iudex.

lampadum ſplendore,& lagenarum comploſione, perterriti; partim fugiunt, partim mutua ſe cæde conficiunt, ſinguli, vicinum quemque hominem, hoſtem eſſe, præ ſomni, quem vix excutere poterant alligatione, arbitrati. Et ſic,inquam,Hebræi, amiſſam toties libertatem,recuperant. Nihilominus,& Gedeone pariter poſtea mortuo, iterum ad ſolitam morum deprauationem,redeunt. Interim,patri [a] ſuo longè diſſimilis, ſuccedit Abimelech. Is, conſilio cum Sichimitis capto, ſeptuaginta fratribus ſuis, (præter vnum) omnibus interfectis: præfecturam ſibi Tyrãnicè vſurpat, non tamen diu. Statim enim poſtea, in eoſdem Sichimitas alioquin amiciſſimos,iam ei,propter ſcelus fratricidij, (Deo permittente) maledicentes, agmine facto irruens: dum turri Thebeti [b],

a *Scilicet Gedeoni.*

Abimelech 6. Iudex.

b *Oppidi nomen eſt.*

(vbi multi confugerant) ignem ſupponere cogitat; à muliere, molæ fragmine capiti deſuper iniecto, opprimitur. Sicque ambo, Abimelech, & Sichimitæ, pœnas ſuis ſceleribus, debitas, perſoluunt. Poſt Abimelechum, Thola de tribu Iſſachar, & Iair Galaadites, in iudices eliguntur. Quibus pariter poſtea defunctis: alius, nomine Iephte ſuccedit. Ille etiam, (de tribu Manaſſe & de ciuitate Galaad) Hebræos iterum reſipiſcentes, poſt octodecim annos, ab Ammonitarum Tyrannide, inſigni certamine liberat: non tamen ſibi ipſi fortunato, ſed infœlici. Ex eo enim reuerſus, ob votum [a] nimis temere factum, filiam quam vnicam habebat, Deo ſacrificat. Poſt hunc autem, ſequuntur

Thola 7. Iudex.

Iair 8. Iudex.

Iephte 9. Iudex.

[a] *Vouerat enim priùs ſe Deo immolaturum ſi viciſſet, quidquid primò reuertenti occurriſſet. Quare filiam propriam, primam omnium occurrentem immolat.*

Abieſan 10. Iudex. Aialon 11. Abdon 12.

Abieſan Beethlemita : Aialon Zabulonites : & Abdon Pharatonites : quibus omnibus, etiam poſtea mortuis, & Hebræis iterum, propter ſua peccata, in Philiſteorum poteſtatem traditis; Deo tamen adhuc, vt antea, miſerente, alius Iudex ſimul & liberator, nomine Samſom, oritur.

Samſom 13. Iudex.

Hic, incredibili ſupra cæteros robore: Leonem, in via ſibi fortè aliquando occurrentem, inermis dilacerat. Ex Philiſtiis ipſis, plurimos, vna tantum aſini maxilla, deiicit. Etiam in vrbe captiuus, ipſius portas ſecum deferens, aufugit. Et tamen poſtea, miſer à muliere vincitur. Dalila *a* enim, quam vnice amabat, prodente; amiſſis cum coma viribus, in hoſtium venit poteſtatem : quibus, (oculis erutis) diu ex ponitur ludibrio. Ac tandem moritur, vnà cum ipſis, (domo vbi *b* erant ruente,) op-

a *Huic enim ſoli, Samſom, totam ſuã fortitudinem, in crinibus conſtitutam detexerat.*

b *Ad ipſi illudendum.*

preſſus. His tranſactis, & eodem ferè tempore, Beniaminia tribus, quod nefarium Gabaitarum [a], aduerſus vxorem Leuitæ cuiuſdam, hàc proficiſcentis, adulterium deffenderet: à cæteris tribubus, bello illato, penè deletur. SAMVEL etiam, poſt multas preces, tãdem ex Anna [b] antea ſterili, natus; Deo, in gratiarum actionem, eiuſque cultui [c], conſecratur. Interea Heli (tunc temporis, duas partes, iudicis ſimul, & ſacerdotis obeunti,) ob nimiam, aduerſus filios [d] ſuos, fœdis ſceleribus templum polluentes, indulgentiam; fit grauis per prophetam comminatio. Imò, & eorumdem filiorum mors, ipſi prædicitur: nec perperam. Huic enim vltimo ciuili [e] bello, ſtatim poſtea,

a *Gabaitæ enim erãt de tribu Beniamin.*

Primi libri Regũ initium.

Heli Iudex 14.

b *Hæc erat vxor viri, nomine Elchana de tribu Leui.*

c *Puta miniſtrationi in templo.*

d *Hos enim Heli ſenio confectus: loco ſui ſacerdotes conſtituerat.*

e *Puta contra tribum Beniamin propter Gabaitarum facinus.*

Digitized by Google

hoſtili ſuccedente: in eo, ambo, Ophni & Phinees, occiſi moriuntur. Etiam poſtea ipſemet, ad rei tam infauſtæ nuntium, (maximè vero arcæ, alioquin veluti in præſidium, ad locum vſque certaminis delatæ, ab hoſtibus [a] abductæ) de repentè corruens: fractis ipſo caſu ceruicibus, pariter occumbit. Nihilominus, hæc eadem arca, apud hoſtes captiua, breui, diſſimulatum Dei numen oſtendit. Primos Azotios [b], plagis acerbiſſimis percutit. In eorum etiam templum inducta: Dagonem, ab ara, vbi religiosè colebatur, turpiter excutit. Nec mitius, cum reliquis Philiſtinorũ agit. Ideoque prouinciarum omnes reguli congregati: hanc ipſam arcam, in ſuum locum reducendam, decernunt. Verum, quid priùs pietas, ac religio preſcriberet, neſcientes, diuinum furorem, ite-

a *Puta Philiſtinis. Hoc adhuc Deus permiſerat, propter nimiam filiorum Heli improbitatem.*

b *Apud eos enim primùm aſportata fuerat.*

iterum in ſe magis inflammare, quam auertere, veriti: ſuos aduocant ſacerdotes, quorum conſilio & iudicio, ipſa tandem arca, non vacua, ſed cum donis & muneribus, nouo impoſita plauſtro, per lactantes vaccas, poſt ſeptem annos, remittitur. Hanc, primi occurrẽtes Bethſamitæ *a* excipiunt: qui nulla mora, ipſis in agris, magno lapide, altaris loco ſuffecto, & plauſtro in partes diſſipato, vaccas ſuper illius ligna, Deo, pro tanto, tamque inſperato beneficio, gratulabundi, immolant. Sed ſubitam illam lætitiam, ſubitus etiam turbat dolor; eorum plurimi, arcam ipſam curioſius intuiti, derepentè moriuntur. Quamobrem, reliqui perterriti, eandem quamprimum à ſe ablegantes: ad vicinos ſuos, ciues Chariathiarim, in domum Abinadab Leuitæ, tranſmittunt. Iamque

a *Vrbs enim Bethſames, ex parte Philiſtinorũ, prima occurrebat in Iſraeliticis finibus.*

Digitized by Google

erat annus vigeſimus, ab arca reſtituta: nec Philiſtei ex eo tempore, aliquid iterum contra Iſraelitas moliri, auſi fuerant. Vbi tamen reſciſcunt, eos omnes, in Maſphat (quos huc Samuel, qui tunc grandior iudicabat, ad Deũ ieiunio ac pœnitentia leniẽdum, conuocauerat: quaſi, non eſſet adhuc pro delicto ſatisfactum) conueniſſe; ſuſpicati, aliquid ab aduerſariis in ſuum caput adornari, in eos hoſtiliter irrumpunt: non tamen ſibi, vt antea, fœliciter. Nam, illic ſtatim orante Samuele, ab Hebræis turpiter victi, recedunt; nullum exinde amplius bellum, (eodem viuente) neque conati, neque auſi, inſtaurare. Poſt hæc, filiis Samuelis (quos pater ætate confectus, & tanto impar labori, ſocios tam moleſtæ gubernationis aſſumpſerat) longè ipſi diſſimillimis, ad auaritiam declinantibus;

Samuel Iudex 15. & vltimus.

inſenſus propterea populus, formam aliam moderandæ Reipublicæ, poſtulat: qualem ſcilicet, nationes habent aliæ, quibus non iudices præſunt, ſed Reges, penes quos, ſummum eſt, & vnicum imperium. Quibus Samuel, poſt exprobratam ſingularem eorum erga *a* Deum ingratitudinem, & ius Regis prædictum, tamen, à ſuo cõſilio, minimè deſiſtentibus: ægrè licet admodum ferens, (Deo iubente) Regem cõſtituit; virum de tribu Beniaminia, filium Cis, nomine SAVLEM: quem ſibi fortè, patris aſinas quærendo, occurrentem, eiuſdem Dei admonitu, conſecrat; iterum poſteà ab vniuerſo populo congregato, miſſis ſortibus confirmatum. Hoc autem facto; lex Regni, toti populo promulgatur: in libro deſcribitur, impoſterum, coram arca

a Antea enim à ſolo Deo immediatè regebantur; & in hoc differebant Reges à iudicibus, quod hi, non tam ipſi quã Deo regnabãt: omnia ſecũdũ formas ab ipſo Deo traditas, faciebant: illi vero, ad ſuũ penitus arbitratũ & libidinẽ, rem adminiſtrabant publicam.

Saül Rex primus.

Et ex eo tẽpore ceſſantibus iudicib⁹. alia prorſus forma moderandæ Hebræorum Reipublicæ, inducitur.

Digitized by Google

in tabernaculo reponenda. Vix erat menſis vnus ab hac inauguratione: & Saül, qui cum Regno, Regium etiam acceperat animum, iam ſuæ ſigna dat fortitudinis. Ab habitatoribus Iabes, non longè à Galaad, in auxilium aduerſus Regem Ammonitarum; vocatus: inſtructo derepētè ex omni populo exercitu, eos fortiter obſidione liberat. Quæ ſubita, tamque inſperata victoria, ſic Hebræos afficit: vt miris ipſum celebrantes præconiis, iterum, in Galgala, Regem confirment. His tranſactis, Ionathas [a], (quem pater iam ætate grandem, nec minus robore, quam conſilio valentem, mille viris præpoſuerat) Præſidiarios milites, (quos Philiſtini, licet à Samuele debellati, huc vſque ſemper, in ſtatione Gabaa conſeruauerant,) graui clade percutit. Quod idem ipſe

a *Saülis filius.*

Digitized by Google

Saul ſtatim intelligens; & ideo, in vindictam Philiſteos copioſum exercitum inſtruere, omnes, nuper poſt victoriam de Ammonitis reportatam, dimiſſos, ad bellum reuocat: qui ſtatim alacres & erectis animis, accurrunt. Sed vbi vident, eas copias à Palæſtinis eſſe coactas, quas contrahi poſſe non putabant: iam animis cadentes aliò atque aliò dilabuntur. Quare tam infœlici perterritus Saül, timens, ne reliqui (qui ſexcenti tantum ſupererant) pariter ab acie diſcederent: ipſe, alienum vſurpans miniſteriũ, ſacrificiis, ſibi ac populo, Deum conciliare tentat: ſed longè econtrario. Atque ideo, præter opinionem, (eodem Deo inſpirante) ſtatim occurrens Samuel, in eum grauiter inuehitur: imò, & ab eodem iam iam transferẽdum eſſe regnum, denuntiat. Interim,

Digitized by Google

Philiſtei [a] vndique diſperſi, prædas agebant: quod adhuc grauiter ferens Ionathàs, & præterea diuino afflatus ſpiritu, vno tantùm aſſociatus armigero, eos inuadere ſtatuit: quos cùm non poſſet tutò, rectà adoriri, iter eligit ſcopuloſum & arduum, à nemine tritum arbitratus. Nec illum ſua ſpes, aut cogitatio fallit. Noctis enim inſuper beneficio vſus, ſubito in hoſtiũ caſtra irrumpens, ita eorum animos commouet & turbat: vt cùm omnia timerent, inimicas etiam acies, in medio graſſari arbitrati, partim fugiunt, partim, dum externos à ſuis facilè non diſcernunt, propriis ſe ſe gladiis mutuò conficiunt. Saül autem, ſtatim illud omne reſciſcẽs, integram omnino victoriam de inimicis reportare, cupiens: ſuos, (capitali propoſito ſupplicio) omni etiam [a] cibo prius capien-

a *Irati ſcilicet eo quod Iônathas, præſidiarios ſuos milites nuper expuliſſet.*

a *Ne quod ſpatium ipſis daretur ad euadendum.*

do, interdicit: Verum, Ionathas ipſe primus, licet inſcius, patris edictum violat [b]. Ideoque, morti deſtinatus: populi tamen ſtudio, liberatur. Poſt hæc, Saül iterum ac ſecundò, Deum offendit. Ab eo per Samuelem miſſus, ad delendos funditus [c] Ammalechitas: ipſe nihilominus, contra diuinum imperium, Religionis ſpeciem obtendens, Agag eorum Regem, multamque prædam, in ſacrificia reſeruat. Atque ideo, ipſum, (Deo adhuc reuelante) aduentans Samuel, grauiter, vt antea, corripit, & inobedientiæ arguit: oſtendens, longè gratius eſſe ſimplex ac ſecurum obſequium, quam omnia omnino victimarum ſacrificia: imò, & eumdem iam iam Regno priuatum iri, admonet. Nec etiam diu poſt, (re, ſtatim iuxta prædictionem ſuccedente) in ipſius locum, DAVID Beethle- Dauid Rex 2.

b *Scilicet melle in via guſtato.*

c *Ita vt nihil omnino ex eorum rebus remaneret.*

mita, vir paſtor, filius Iſaï minimus, de tribu Iuda, Rex conſecratur [a]. Ille, vt iam veluti à ſeipſo mutatus, ita & ſtatim longè alios aſſumens animos, forte Philiſteis, iterum contra hebræos, ad pugnam, (in valle Therebinti,) congregatis; eorum ducem nomine Goliath, virùm gigantem, in armis & fortitudine confidentem; ipſe vero Deo fidens, inermis; paſtorali tantum funda baculoque contentus, deiicit. Cuius etiam abſciſſum caput, poſtea defert Hieruſalem, futurum tantæ victoriæ diuinitus obtentæ, æternum monumẽtum. Huius autem rei tam fœlicis, admonitus Saül: ipſum, (quem nondum Regni ſui hæredem, iam conſtitutum, neſciebat) filiæ ſuæ minoris, nomine Michol, matrimonio remunerat. Verum, cito hæc Saülis ipſius erga Dauidem beneuolentia,

ver-

a *Ab ipſo Samuele non tamen palam ſed occulte.*

Digitized by Google

vertitur in odium. Reſciſcens enim poſtea, populum, non iam tam ſuo, quam Dauidis nomini fauere, eum quibuſlibet modis occidere tentat: qui ideo, (præſertim Ionathæ [a] conſilio) protinus ad Samuelem fugit in Ramatha [b]. Neque tamen conſilium mutat Saül: imò fugientem, etiam ad hunc vſque locum perſequitur: ſed fruſtra. Ipſe enim, (ſuadente iterum Ionatha) etiam ac ſecundo, ſtatim aufugit in ciuitatem Nobe, (non procul à Gabaa) ad Achimelech, ſummum tunc temporis ſacerdotem: à quo, fame cogente, ſacris propoſitionis panibus, aliis deficientibus, ſaturatus; & inermis, eo ipſo enſe, quem nuper ablatum à Goliath, in tabernaculo poſuerat, armatus: adhuc, exinde diſcedit. Cum autem in regionibus Saüli ſubiectis, nihil amplius tutum putaret

a *Huic enim erat amiciſſimus Ionathas, & ipſi renuntiabat quidquid de eo mali pater cogitauerat.*

b *Patria erat Samuelis.*

Digitized by Google

à periculo; inter illos etiam ratus, cõmodiorem ſibi fore commorationem, quos tot affeciſſet incommodis, ad Geteos venit: à quibus tamen præter ſpem cognitus, dementiam præ timore ſimulat, conſilio, maximè ipſius ſaluti (Deo ſic diſponente) opportuno *a*. Atque ideo, abhinc pariter egreſſus, imò ex omni Philiſtinorum regione: venit in Maſpha, ad Regem Moab, cuius fidei ac tutelæ, parentes ſuos (qui ad ſe paulò anteà confugerant) relinquens, nullam eis in Saülis regno, vitam fore tranquillam arbitratus: inde iterum poſtea, conſilio Gad prophetæ, in terram Iuda reuertitur. Interim, Saül reſciſcens *b*, ipſum per Nobe ciuitatem tranſiiſſe, ibique ab Achimelech ſacerdote, victum, & arma accepiſſe: hunc ipſum Achimelech, cæteroſque ſacerdotes ad ſe adductos, interficit.

a *Cum enim ita ad regem adduceretur à Geteis, Rex longè reijcit: imò grauiter in eoſdem Geteos inuehitur, indignum & dedecori eſſe, ſibi tam ſtolidum, atque inſipientem adduci, arbitratus.*

b *Scilicet per aliquem ex ſuis, fortè tunc ibi præſentem.*

Nec contentus: eorum ciuitatem, veluti anathemati addictam, funditus euertit. Vnus ex omnibus, ab hac ſacrilega cæde ſaluus ſacerdos, nomine Abiathar, ſtatim confugit ad Dauidem: qui eum amicè conſolatus, ſecum retinet; & maximè opportune. Nam paulo poſt, anceps antea & dubius, conſulto vero per eum Deo, confirmatus; Ceilanos implorantes auxilium, ab obſidentibus Philiſteis, ipſe cum ſexcentis viris (quos habebat laboris, atque fortunæ ſocios) liberat. Qui, exinde tamen, ſtatim etiam diſcedens, ne Saüli, (quem illuc ideo aduentantem, audierat) ab ipſiſmet viris Ceilæ [a], fortè poſtea tanti beneficij oblitis, traderetur: profugus, in deſerto Ziph latitans, proditur à Zipheis; ſed fruſtrà: eodem enim Saüle, (qui iterum illuc, cum delecta ſuorum manu con-

a *Hoc enim à Deo acceperat, ſe à viris Ceilæ proditum iri, ſi diutius in eorum vrbe remaneret.*

uolarat) inde propter ſubitam Philiſtinorum irruptionem[a], derepentè euocato, liberatur. Nec mora, vlterius progreditur, ad deſertos, inacceſſoſque montes Engaddi : vbi Saülem, etiam huc poſt fugatos Palæſtinos profectum, cum poſſet [b] interficere : eo ipſo contentus, ignoſcit. Ex quo, ſuſcepto ſtatim iuramento, ſibi inuicem reconciliati : in ſua quique loca diſcedunt. Saül, in Gabaa redit; Dauid vero, eamdem quam inſtituerat viam, per deſertum Pharam perſequitur [c] : vbi, Nabal viro, ex genere Caleb potentiſſimo, (qui tunc propter gregis tonſionem, de more, ſplendidum amicis & famulis adornabat conuiuium) ſibi poſt multas legationes victum neganti, mortem iam iam illaturus: egregia tamen ipſius vxoris Abigail, cum donis ſtatim obuiam oc-

a *In ipſius Regnum.*

b *Saül enim fortè ventris leuãdi cauſa, ſolus in eam ipſam ſpelũcam, in qua tũc Dauid cum ſocijs latitabat ſecederat.*

c *Eo tempore moritur Samuel in Ramatha.*

curſantis oratione, placatur. Nihilominus idem Nabal, non diu poſt, (Deo ipſo tantam ingratitudinem vlciſcente,) moritur. Quod Dauid reſciſcens, atque ideo Abigail, iam à viro ſolutam: hanc ipſam, ſimul cum Achinoa *a*, in connubium accipit. Saül autem, ideo iam in diuerſa mutatus; & vt erat ingenio parum ſtabili, abductam ab ipſius thalamo filiam *b*, alieno tradit. Vnde ſat intelligentes Ziphei, eum, iterum eſſe malè in Dauidem animatum: eumdem vt antea, in ſuis finibus abſconditum, produnt. Et hoc, Dauid ipſe iterum intelligẽs, pariterque, illuc Saülem vt antea conueniſſe: clam, noctu, in ipſius tentoria ingreſſus; cùm dormientem ſimul cum ſuis, poſſet iuterficere: miſericordia tamen motus, iterum ac ſecundo ignoſcit. Vnde Saül experrectus, fidelita-

a *De Iſrael ex tribu Iuda,*

b *Michol.*

tem, ſimul & innocentiam Da-
uidis, iam ſatis ſuperque agnoſ-
cens; culpam fatetur, eique im-
poſterum, ſecuritatem pollice-
tur: ſed fruſtrà. Ille enim mul-
toties, ſuo etiam periculo exper-
tus, quam parum in Saüle, Regia
fides haberet firmamenti: nec
ideo, licet poſt multa humanita-
tis atque officij ſigna, ſibi tutum
eſſe in eius aulam reuerti, arbi-
tratus: relictis omnino Iſraeli-
tarũ finibus, ad Regem Achis *a*,
iterum proficiſcitur: à quo, non
vt antea reiectus, verum beni-
gniſſimè exceptus, vrbem etiam
Siceleg, in habitationem accipit.
His tranſactis: Philiſtini, magnũ
adhuc contra Iſraelitas bellum,
adornant. Saül vero, eorum acie
perſpecta, plus ſolito cõmotus:
cum iam Samuelem, (vt pote nu-
per defunctum) quem in tali re-
rum anguſtia conſuleret, non
haberet: Pythoniſſam mulierem

a *Regem Geteorũ.*

adit, cuius tamen non magicis carminibus, ſed Dei omnipotentia excitatus Samuel; longè alia quàm ſperabat, ipſius nimirum, filiorumque mortem, prædicit. Nec perperam: vno enim poſtea vel altero die, commiſſo vtrimque certamine, omnibus filiis præter vnum occiſis, ille grauiter etiam vulneratus, ne viuus ab hoſte ignominiam ſubiret, ſua manu cōcidit. Huius corpus, hoſtes ignominioſè mœnibus ſuſpendunt: verum Iabenſes *a*, antiqui memores beneficij, illud ipſum, noctu ſublatum, iuxta ciuitatem ſuam ſepeliunt. Vix erat ab hac cæde, dies tertius: & confeſtim, vir quidam peregrinus, cæteros anteuertens, ad Dauidem venit in Siceleg: exiſtimans, nec illud nuntium, quod ipſi de Saülis morte perferebat, fore iniucūdum; nec ideo, ſe minorem ab ipſo gra-

a *Viri ciuitatis Iabes.*

Hîc initium ſecūdi Regum.

Digitized by Google

tiam initurum. Longè tamen aliter accidit : nam Dauid, extinctum Saülem, licet inimicum dolens : ſed magis ruentem patriam, amicos [a] occiſos, omnino, Iſraeliticam gloriam ab hoſte Palæſtino ſubactam; ipſũmet nuntium (qui ſe eius necis auctorem eſſe, iactauerat) occidit. Nec mora, (Deo tamen priùs conſulto) in patriam [b] reuerſus: ipſe cum ſociis & vxoribus, venit in ciuitatem Hebron: vbi ſtatim à viris Iuda, ſuper ſuam tribum, noua quadam vnctione, Rex cõſtitutus; vt animum ſuum oſtenderet, Saülis commodis nunquam fuiſſe contrarium, & ita, reliquarum vndecim tribuum, quæ ipſius partibus adhærebant, gratiam pariter cõciliaret: præterquam quod nuper mortem planxerat, hîc impræſentiarum, viros Iabes Galaad, ob eiuſdem ſepulturam, magnis attollit præco-

a *Præſertim Ionatham.*

b *Puta tribum Iuda.*

coniis. Verum Abner [a], propter affinitatem; hoc ſtatim conſilium anteuertens: ne à ſuo genere, Regium nomen excideret; vnum ex Saülis filiis, nomine Isboſeth, arte ſua, Regem ſuper reliquas tribus, conſtituit. Vnde orta ſtatim ſeditione, magnum etiam vtrimque ſuboritur bellum; in quo tamen plurimis aduerſariorũ cæſis, Dauid victor, in Hebron reuertitur. Ibi quinque filij, Ammon, Cheleab, Abſalom, Adonias, Iethraam, ex variis ipſi naſcuntur vxoribus; vnà cum Regno, etiam in dies creſcente familia. Sed & hoc inſuper, ad meliorem Dauidis fortunam accedit: quod Abner ille, (in cuius omnino manu, res erat Iſraelitica) fortè poſtea iratus Regi Isboſeth, tandem cum ipſo [b] paſciſcitur. Sic enim, & reliquæ tribus antea reſiſtentes, inito iam fœdere, illum eũdem,

a *Princeps erat Saülis militia.*

b *Scilicet Dauide.*

ſibi pariter Regem aſciſcunt, & præficiunt *a*. Qui exinde, à ciuilibus & inteſtinis bellis expeditus, iam videns ſe maiores habere vires, vt pote collectas, neque contra domeſticos, ſicut antea *b*, diſperſas, primùm ad Hieruſalem venit: & quam maiores ſui non potuerant habere, niſi cum externo habitatore cõmunem, ipſe ſibi propriam vindicat, pulſis ex ipſius arte Iebuſeis: vbi, priori iam deſerta ſede commoratus, plures iterum filios, Nathan, Salomonem, &c. ex ſuperinductis vxoribus ſuſcipit. Ac demum, pluribus aliis factis expeditionibus, omnino rebus benè conſtitutis, vnum dolens, arcam tamdiu extorrem vagari, nec vllum permanens habere domicilium: ſtatim extructo in medio arcis ſuæ tabernaculo, pluribus ex omni populo, ad maiorem ſolemnitatem euocatis; ipſam, ex

a *Priùs tamen ambo Iſboſeth & Abner, per inſidias occiſi moriuntur.*

b *Puta cum ſola tribus Iuda eum Regem cognoſceret.*

Gabaa (vbi tunc erat in domo Abinadab Leuitæ) nouo plauſtro impoſitam, reducit, ſingulari prorſus ordine: omni populo, cum feſtiuo plauſu præcedente, & duobus Abinadab filiis, vtrimque comitãtibus; quorũ alter nomine Oza, quod ipſam eãdem arcam licet fortè caſuram, tamen paulominùs reuerẽter tetigiſſet: ſubita interceptus morte, lætitiam illam publicam, ſtupendo planè ſpectaculo, comprimit. Ideoque Dauid etiam obſtupeſcens; non auſus eam, in ſuam vſque ciuitatem traducere, primùm in domo Obededom relinquit: poſtmodũ tamen reductam, in tabernaculo præparato collocat. Neque tamen adhuc, ſibi ipſi vndequaque ſatisfacit: imò poſtea recogitans, ſe regiam domum incolere, ipſam vero Dei arcam, quaſi adhuc peregrinam, habitare ſub pellibus,

Digitized by Google

grauiter inquam ferens; ei templum ædificare ſtatuit. Sed aliter *a* iuſſus; hoc ipſum opus filio, quem ideo Deus pollicetur, relinquit. Vnde nihil amplius, præter regni ſui tranquillitatem cogitans, variis iterum hinc atque hinc factis excurſionibus, ab externis, quidquid vt plurimum, ad Hebræorũ poſſeſſionem pertinebat, reſumit. Nec ſatis, Hanon etiam Regem Ammonitarum, poſt ius gentium violatum, & illatam ſuis legatis iniuriam, vnà cum omnibus copiis profligat. Quinque etiam Syriæ Reges, ab eo in auxilium vocatos, antea liberos, ſibi vectigales fa-

a Multa ſunt rationes, ob quas Deus noluerit ſibi à Dauide, templum ædificari. Ex quib⁹ duas affero, easq. præcipuas. Prima, non quod Deus non probaret Dauidis intentionem: ſed quia negotiũ illud longum & arduum, non benè Dauidi conueniebat; cui nondum erat ſumma pax, & tranquillitas. Secũda petitur ex primo Paralipomenon, c. 28. v. 3. Vbi Dauid de ſe ſic loquitur: cogitaui vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, &c. Deus autem dixit mihi, non ædificabis domũ nomini meo, eo quod ſis vir bellator, & ſanguinem fuderis.

cit. Verum poſtea, his omnibus fœliciter tranſactis, poſt tot inquam victoriarum gloriam, & magnarũ virtutum illuſtria documenta, longè à ſe ipſo mutatus, deficit. Quem enim, neque Hebræorum terror Goliath, neque mille deinde hoſtium tela, frangere aut domare potuerant; ſola vincit mulieris Bethſabee pulchritudo: cum qua violato coniugali thoro, ne quis ſceleris ſui accuſator, exiſteret; Vriam verum ipſius coniugem, per inſidias iubet interfici. Interea Deus maximè iratus, Natham ſtatim prophetam mittit: qui tamen ipſi, poſt multas comminationes, & exprobratam pro tot beneficiis ingratitudinem, maximè compuncto; de pœna, alioquin toti etiam familiæ inferenda, remittit: tantùm, paruulum hac ipſa furtiua venere conceptum, moriturum prædicit. Ni-

Digitized by Google

hilominus, pro eo poſtea (acta pro peccato pœnitentia) Deo iam reconciliatus, alium longè præſtantiorem, nomine Salomonem, ex eadem Bethſabee a ſuſcipit: & exinde animo tranquillus, vitam pariter ducit liberiorem; non tamen diu. Citò enim ipſum, malus, Abſalomis filij iam ætate prouecti, genius exagitat: à quo, facta coniuratione, fugatus; maximam etiam in ſuis vxoribus accipit iniuriam: quas, ad cuſtodiam domus derelictas, ille cum exercitu ingreſſus Hieruſalem, publicè violat; hoc ei, Architophel (quem habebat ſuæ coniurationis ſocium) ad maiorem iniuriam ſuadente: nec impunè. Imò, ipſemet de ſe ipſo pœnas ſumit: & futurum euentum præuidens; ſuſpendio, mortem occupat. Neque tamen ideo, Abſalom, ad ſanam mentem redit.

a *Sed quam iam vt pote à viro ſolutam, ſibi in vxorem legitimo matrimonio acceperat.*

Digitized by Google

Quinimò, nondum ſibi ſatis eſſe factum putans; patrem adhuc fugientem, perſequitur. Verum aliter omnino accidit: nam ipſemet, non vt antea, fuſis à paterno exercitu ſociis, agitatus; cùm velociter equo fugeret, in condenſam ingreſſus Syluam, impietatis ſuæ pœnas luit: & implexis fortè capillis, quos habebat ſupra modum prolixos, in arbore ſuſpenſus, à Ioab interficitur, poſtea tamen multum ab eodem Dauide requiſitus. Ex eo, conuerſis ſtatim coniuratorum omnium animis, Dauid, à viris Iuda in Hieruſalem reducitur. Ac tandem, Philiſteis iterum bellum adornantibus, à ſe debellatis: iam ſatis ſuperque cognoſcens, totum ſuum robur, totam ſuam ſalutem, non aliunde quam à Deo proficiſci, canticum edit, ſingularis artificij plenum: in quo, poſt actas de ſuis

Digitized by Google

omnibus victoriis ipſi Deo gratias, ſe eiuſdem laudes perpetuo celebraturum pollicetur. Et tamen, paucis abhinc diebus, neſcio qua gloriæ cupiditate motus, ob numeratum populum, rurſus Deum offendit: qui ſtatim Gad prophetam, veluti nouum iræ ſuæ nuntium, mittit; à quo, Dauid ipſe grauiter correptus, ex tribus, in delicti [a] pœnam oblatis, peſtem triduanam eligit: cuius vi, pluribus ex populo interemptis, poſt multas tamen orationes & lachrimas, hunc ipſum Deum, ſibi tandem vt antea reddit, omnique populo propitium. His omnibus omnino tranſactis, videns Adonias, iam [b] fratrũ natu maximus, à Dauidis parẽtis ſui ætate, vt pote ſeptuagenarij & laboribus attenuati, non procul abeſſe ſupremum diem; atque ideo, ſibi [c] ſoli, Regnum deberi exi-

a *Puta fame bello & peſte.*

Hîc initium tertij Regũ.

b *Alij enim mortui erant.*

c *Vt pote natu maximo.*

exiſtimans, Regios etiam ſpiritus aſſumit: & quod mente conceperat, ambitioſa oratione, ſe breui regnaturum vbique prædicat. Verum, cito ipſius ſpem eludit Bethſabee [a] quæ hoc ipſum, quod ſibi antea toties fuerat promiſſum, adhuc impræſentiarum, à Dauide impetrata; filium ſuum Salomonem, in Regem vnctum, quo magis omnibus conſtaret, Regia mula inſidentem, clamante in modum triumphalem turba, vbique traduci imperat. Ipſe vero, eo artificio confirmatus, & iam mortuo patre, hunc ſuum fratrem Adoniam, ad maiorem Regni ſui tranquillitatem, interficiendum curat. Ac poſtea, accepta vxore, nihil magis ſibi futurum ex vſu putans, maximè quam vt creditum ſuæ fidei populum, rectè poſſet ac ſanctè moderari; oblatis priùs victimis,

a Cuius non erat mater, vt pote nati in Hebron: nondum enim hæc deſponſata erat Dauid.

Salomon Rex 3.

ſapientiam à Deo [a] petit: qui, hoc ipſius deſiderium maximè probans, non modo quam poſtulat ſapientiam, largitur: verum & cum ipſa, alia inſuper bona, diuitias & gloriam, rerum denique omnium ſcientiam, tribuit. Interim vero, Hyram Rex Tyri, legatos mittit Hieruſalem, per quos, & Salomoni de regno gratulatur: & fœdus iam olim initum cum parente, noua illa atque officioſa legatione, confirmat. Sed & idem Salomon, quod parenti ſuo non licuerat, id abſoluere cogitans, & ſtabile domicilium Domino cõſtruere; ſuos viciſſim ad Hyram legatos mittit; qui, ipſius votis facilè acquieſcens; artifices, omnemque materiam huic operi neceſſariam, ligna & lapides, ſubminiſtrat. Ideoque Salomon, nulla mora, illud totius orbis grande miraculũ, templum ſci-

a *Fortè noctu per ſomnium.*

Templi conſtructio.

licet, quo nulla hominum ætas, quicquam vidit, aut opere magis eximium, aut maieſtate magis auguſtum, aggreditur [a]. Ac tandem, iuxta exemplar, Moſi olim à Deo, ſibi autem ipſi nuper à patre traditum, poſt ſeptem annos perficit, Deo iterum, maximè ipſius pium, atque ardens ſtudium, approbante. Nec ſatis, alterum adhuc ædificium, Regiam ſcilicet domum, hoc in [b] loco etiam ſibi extruendam, ſuſcipit: qua pariter poſt tredecim annos abſoluta, conuocatis è populo pluribus, ſed maximè cunctis ſingularũ tribuum principibus; templum iam recens à ſe excitatum, (arca, in interiorem ipſius partem introducta) maxima cum celebritate, dedicat. In quo, oblatis ſine numero victimis, poſt longam orationem, toti populo benedicit. Dum hæc aguntur: Regina Saba,

a *Anno ab exitu quadringenteſimo octogeſimo.*

b *Scilicet in Hieruſalem, eo potiſſimũ loco, in quo eſt ipſius vrbis propugnaculum.*

multa de ipſius ſapientia ac maieſtate, per nuntios intelligens, atque ideo, cupiens ipſamet ſuis oculis videre, quod tam effuſis laudibus fama vulgauerat, ad eumdem, cum donis & muneribus venit: quæ experientia edocta, tum ex ipſius ſermonibus, tum ex domeſtico apparatu, tum etiam ex eleganti atque exquiſita templi decoratione, famam multo minorem eſſe veritate; obſtupeſcens præ admiratione, acceptis inſuper viciſſim ab eo muneribus, diſcedit. Verum, huius ipſius Salomonis vitæ, hactenus ſanctæ, & cum dignitate tranſactæ, ſuccedit ad extremum, infœlix, atque miſera cataſtrophe. Qui enim iuuenilem ætatem, his adhuc temporibus vltimis, cum omnium admiratione tranſegerat: iam in ſenectute ſua ſic miſere labitur, vt ſe quibuſcumque vxoribus,
Digitized by Google

etiam alienigenis [a] commiſcens, adeoque ab ipſis infatuatus, ad earũ idola conuerſus: non modo ſuis, verum & exteris ludibrio fit, ſapientiam in amentiam vertente luxuria. Neque ſolum hoc, ſed & Deus ideo maximè iratus, aduerſus eum, hoſtes infenſiſſimos impellit, maximè vero Ieroboam Euphrateum: cui etiam, per prophetam Athiam, regnum Iſrael pollicetur, excepta nihilominus tribu Iuda cum Beniamin, quam, in gratiam Dauidis de ſe benè meriti, adhuc Roboam Salomonis filio, reſeruat. Nec aliter prorſus accidit. Mortuo enim poſtea Salomone, populus ægrè admodum ferens, nihil ſibi de tributorum onere remitti, imò Roboam, (quem vnicum Regni ſui hæredem, pater reliquerat) ad ſua poſtulata, acerbe admodum

a *Hoc enim Deus expreſſè prohibuerat.*

reſpondiſſe: exorta ſtatim [a] ſeditione, omnes, præter tribum Iudam & Beniamin, ab ipſo deficientes, alium ſibi Regem, hunc ipſum ſcilicet Ieroboamũ, (Deo ita diſponente) cõſtituunt. Neutri nihilominus eorum, vera in Deum pietas conſiſtit: citius tamen, Ieroboamus deficit; qui vix ac ne vix quidem Rex conſtitutus, timens, ne Hieroſolimitani templi Religio, populum ſuum ad Iudeæ Regem reuocaret, duo alia ad maiorem commoditatem, vnum in Bethel, alterum in Dan, ædificari præcipit: vbi vitulis in Deorum ſimulacra erectis, & inſuper conſtitutis ſacerdotibus, ipſum à vera & patria religione diſtrahit. Infenſus autem Deus, ſtatim, (eo præſertim tempore, quo fortè ſacrificabat) ad ipſum prophetam mittit: qui grauia minatus,

Diuiſio Imperij

Roboam Rex 1. Iuda.

Ieroboam 1. Rex Iſraël.

a *Ex eo tempore Regnum alioquin vnum, in duo diuiſum eſt. Alterum Iudæ ſeu Hieroſolimæ: ex tribu tantum Iuda & Beniamin. Alterum Iſraelis, ſeu Samariæ dictum, ex reliquis decem tribubus.*

ſacra ſolemnitatemque turbat. Sed & quo illis maior ineſſet fides, quæ minacibus verbis edicebat: præſenti portento, altari derepentè corruente, confirmat. Nec tamen, impius ille & idololatra, ad ſanam mentem redit: qui ideo, ſtatim poſtea, diuinam vindictam, primùm in filij primogeniti, ac deinde in propria ſui ipſius morte, experitur. Nihilominus, huius filius alter, nomine Nadab, in regno Iſraelitano ſuccedit; non tamen diu: hunc enim cito, Baaſa de tribu Iſſachar, per inſidias interficit; ſe ſeque in eiuſdem locum, ſufficit. His trãſactis, etiam Roboam Rex Iuda, ipſius Ieroboami impietatem æmulatus: auitam poſtea religionem, negligit. Quamobrem, & ipſi quoque iratus maximè Deus, ſtatim ſuſcitat Seſac Ægyptiorũ Regem: qui conflato exercitu, Hieroſo-

Nadab 2. Rex Iſrael.

Baaſa 3. Rex Iſrael.

Digitized by Google

limam ingreſſus;non modo Regiam domum,verum etiam templum, ſuis opibus & ornamentis ſpoliat: poſt cuius alias atque alias adhuc vexationes,Roboam

Abias Rex 2. Iuda.

ipſe tandem moriturus, Abiæ filio regnum legat; cui etiam non diu poſt, propter ſummam impietatem defuncto, ſuccedit

Aſa Rex 3. Iuda.

Aſa, ſed parenti ſuo longè diſſimilis:nam & priſtinam religionem reſtituit, & terram ſibi creditam,ab idolorum ſeruitute penitus eluit. Interim vero,moritur Baaſa Rex Iſrael: cui filius

Ela Rex 4. Iſrael.

Zamri Rex 5. Iſrael.

Amri Rex 6. Iſrael.

Achab 7. Rex Iſrael.

Ela ſufficitur,& poſt ipſum,duo adhuc alij viri,Zamri, & Amri: quibus etiam mortuis, ſuccedit Achab maioribus ſuis longè peior: ille etiam contra Dei præceptum, accepta ſibi de gentilibus vxore, nomine Iezabel, adeoque ab ipſa ſeductus, præter antiquos Deos, alios inſuper gentilicos, in Iſraelem indu-

Digitized by Google

ducit. Verum cito ipſum, pœna ſubſequitur. Elias, poſt exprobratam ipſius erga Deum ingratitudinem, per vniuerſum eiuſdem regnum, ſterilitatem inducit: qui ideo poſtea, Regis ſimul & populi furorem timens, etiam, Deo conſulente, aufugit; interim per ſolitudines à coruis paſtus, & poſtmodum, à muliere Sarephtana, cui in præmium, toto illo ſterilitatis tempore, nunquam defuturum alimentum, pollicetur: ſed & inſuper, ipſius filium, à mortuis (præuia tamen oratione) excitat. Nihilominus, exacta iam triennij ſiccitate, miſertus Deus, cupiens priſtinam fertilitatem, non tamen, niſi ad prophetæ [a] ſui preces indulgere: Achab Regem, Eliæ fortè occurrere permittit: qui poſt multas exprobrationes,

Inſigne Eliæ miraculum.

a *Eliæ.*

Digitized by Google

maximè facto [a] de vera religione iudicio, ipſum ad ſanam mentem reuocat. Ac poſtea, falſis omnibus ſacerdotibus octingentis quinquaginta, ad vnum trucidatis; poſt ardentem orationem, ab ipſo Deo, vnà cum pluuia, fertilitatem impetrat. Intelligens autem hæc omnia Iezabel, vxor Achab, ſed maximè ſacerdotum ſuorum necem, illi in diem proximum, ſimile prorſus minatur excidium: qui non ſatis muliebri furori fidens, iterum profugus; ab Angelis enutritur, etiam Dei fruitur alloquio, eiuſque monitu, prophetam ac ſucceſſorem ſibi (ſtatim ab hominum congreſſu auferendo) Eliſeum, de tribu Ruben, filium Saphat, fortè occurrentem, deſtinat. Poſt hæc, iratus iterum Deus aduerſus Achab,

a *Scilicet per ignem cœlitus emiſſum, congregatis enim falſis omnibus cum Elia ſacerdotibus; omnis populus conuenerat, vt duorum Deorum, ſcilicet & illorũ ſacerdotum, & Elia, verus ille haberetur: qui ignem, ad conſummationem holocauſti (nullo alio ſuppoſito) emitteret.*

quod contra præceptum, victor in bello ſibi à Syris illato, omnibus ad vnum trucidatis, eorum pariter Regem Benadab, non occidiſſet, ſed econtra, cum ipſo fœdus pepigiſſet; iratus inquam Deus, ipſi per prophetam mortem minatur, nec diu poſt ſecutam: ipſe enim idem poſtea, inſtructis copiis, Syros adhuc aggreſſus; in medio certamine, telo transfixus, moritur. Huic filius Ochoſias ſuccedit, (& eodem tempore, Aſæ etiam Regi Iudæ mortuo, filius Ioſaphat: & rurſus poſt ipſum, filius Ioram) nihilò parente, aut incorruptior moribus, aut religione melior; de ſublimi loco fortè delapſus, ad Beelzebuth, ſuper ægritudine ſua cõſulendum, nuntios mittit: verum infẽſus etiam maximè Deus, ipſi per prophetam, mortem ideo denuntiat, re ſtatim, prædictionem compro-

Ochoſias Rex 8. Iſrael.

Ioſaphat Rex 4. Iuda.

Ioram Rex 5. Iuda.

Initium 4. Regũ

bante. Ipſius autem loco, vt pote ſine liberis, frater Ioram, in regno Iſraelitano ſufficitur.

Ioram Rex 9. Iſrael.

Tandem poſt hæc, Elias, tempus in quo ſibi abeundum erat ex hominum conuictu, iam iam inſtare præuidens, ſed maximè hoc ipſum celare, atque ideo, ſe à ſuis amouere cupiens: poſt multum itineris, ipſum etiam Iordanem (aquis, ſuo pallio per miraculum diuiſis) tranſmeat. Ad cuius littus iam ſubſiſtens, Eliſeo comiti [a] indiuiduo, duplici ſpiritu, prophetiæ, & miraculorum, veluti in hæreditatem relicto: igneo ſtatim curru, ſublimis in cœlum rapitur, ipſi eidem inſuper, pallium ſuum ex alto proiiciens, perpetuum paterni amoris, & ſtudij monumentum. Qui omnino ſtupefactus, poſt multos clamores, nihil tamen amplius de reditu Eliæ, ſibi expectandum putans: diuiſis etiam

[a] *Hunc enim Eliſeus nunquam voluerat deſerere.*

Raptus Eliæ.

aquis, per Iericho reuertitur. Ibi aquas, alioquin & guſtatu amaras, & corporibus noxias, ſale conſperſo, dulces maximeque ſanas reddit. Ex quo, omnes, Eliæ ſpiritum in Eliſeo reſediſſe, cognoſcentes: hunc etiam ipſum, vt Eliam, deinceps venerantur. Nec vnicum illud tantum miraculum, ſed longè plura, imo & maiora, in teſtimonium dati ſibi ſpiritus Eliæ, exprimit. Nunc viduæ paupercula, oleo in vaſis multiplicato, neceſſitati ſubuenit. Nunc à Sunamitide quadam, liberali exceptus hoſpitio; filium, ipſi antea ſterili, precibus impetratum, poſtea mortuum, etiam ſuſcitat. Nunc farina pulmento infuſa, ipſius aufert amaritudinem: & cibum antea minus iucundum, maximè ſuauem efficit. Denique paucis panibus, magnam virorũ multitudinem, Eliſei miracula.

ſatiat. Quæ omnia intelligens Naaman, vir inter Syros, poſt Regem, authoritate atque potentia facile princeps, tunc temporis leproſus: ſtatim ad Eliſeum venit, cum donis & muneribus: à quo ipſe, & relictis idolis, ad veri Dei cultum reuocatur; & ſeptena in Iordane lotione, penitus à lepra mundatus, priſtinæ reſtituitur ſanitati. Verum Giezi, infidelis Eliſei famulus, munera, quæ magiſter vltro oblata [a] contempſerat, ipſius tamen nomine, poſtea clam extorquens: hoc eodem Naami morbo, derepentè affectus, auaritiæ ſuæ pœnas luit. Interim Benadab Rex Syriæ, amplificandi imperij deſiderio, vel potius Deo, id propter peccata Iſraelitarum permittente, quidquid ſibi nunc erat virium, vndequaque conſcribens: Samariam, regni Iſraelitici caput, ob-

[a] *Scilicet à viro ipſo à lepra curato.*

ſidet; vſque adeo pertinaciter, vt iam famè omnibus propè enecatis, matres etiam ipſæ, filiis propriis non parcerent. Ioram[a] autem, malum hoc non à ſuis ſuorumque peccatis, ſed ſibi ab Eliſeo, quanquam falſò, prouenire putans; capto ſtatim de illius cæde conſilio, ſatellites mittit, ſed fruſtra: ipſe enim inſidiarum præſcius, Regis ſimul conſilium & ſedulitatem eludit. Imò poſtea, bonum pro malo reddens, Deo precibus placato, fugatis ex ipſa vrbe[b] hoſtibus, magnam, in omni regno, frumenti abundãtiam inducit. His tranſactis, Ioramo etiam Regi Iudæ, tandem defuncto, filius Ochoſias ſuccedit, non tamen diu: nam memor poſtea Deus, omnium impietatum Achab[c], atque ideo, quod minatus fuerat, domum ſcilicet ipſius, funditus exſcindendam, iam perfi-

a *Qui tunc temporis, Rex erat in Iſrael.*

b *Samaria.*

Ochoſias Rex 6. Iuda.

c *Regis Iſrael.*

Iehu Rex 10. Iſrael.

cere volens : ad id, virum nomine Iehu, ſuſcitat; qui ideo, per prophetam, Rex Iſrael conſecratus, vnà cum Ioram [a] filio & Iezabel [b] vxore, hunc ipſum Ochoſiam, adhuc Regis Achab affinem interficit. Nec ſolum, ſed & cæteros eiuſdem filios, omnem denique cognationem, extinguit: & Baalis ſacerdotibus ad vnum occiſis, nefariam pariter ipſius religionem, à Iezabel inductam, ex Iſraele toto relegat. Nihilominus, impius ſemper ipſe, nequaquam à peccatis Ieroboami abſtinet. Quare Deus etiam ipſi iratus, magnam adhuc poſtea ipſius populi partem, Syrorum committit poteſtati. Poſt hæc, tandem moritur: & ipſius loco, filius Ioachas ſufficitur. Athalia [c] autem, filiū ſuum

Ioachas Rex 11. Iſrael.

a *Tunc temporis regnãte in Iſrael.*

b *Etiam adhuc viuente.*

c *Hæc vice Regis 7. à quibuſdam hic etiam reponitur: per aliquot enim annos, regnum occupauit.*

ſuum Ochoſiam, Regem Iuda, mortuum intelligẽs, atque ideo per fas & nefas, regnum ſibi vſurpare tentans, à Ioiada tamen, ſummo tunc temporis ſacerdote, prohibetur: qui indignum putans; populum, mulieris, & quod magis eſt, alienigenæ, ſubiici poteſtati: ſed præterea videns, Ioas, filium Ochoſiæ ſuperſtitem, licet vix ſeptennem, tamen pro ſuo iure regnũ repetere; ipſum, Athalia per inſidias interfecta, Regem Iuda, vnctione conſecrat: qui ſuorum quoque patrum exemplo, regnum prius religioſè & fœliciter obitum, infœlici atque impio exitu terminat, Deorum lucos, auita religione deſerta, ſecutus. Quare, & ipſe quoque, diuinam experitur vindictam; poſt multas Syrorum vexationes, tandem in lecto decumbens, à ſeruis ſuis, per in-

Ioas Rex 7. Iuda.

ſidioſam ſimulationem, interficitur. Huic, filius Amaſias ſuccedit: & eodem tempore, mortuo Ioachas, filius etiam Ioas, in Regno Iſraelitano: qui ſecundum Eliſei iam iam poſtea morituri prædictionem, iterum ac tertio, Syros ignominioſè debellat; ac tandem, Eliſeo ſublato, ipſe etiam moritur, nihilo parente melior: poſt quem, Ieroboam *a* & Zacharias, etiam in eodem regno ſuccedunt. Amaſia autem, poſtea à ſuis, coniuratione facta, interfecto: filius Ozias, Iudaicum ſcreptrum occupat; princeps initio ſatis bonus, verum oblitus poſtremo ſui, dum quæ ſacerdotum erant partes, per ſuperbiam vſurpat: elephãtiacus *b* derepentè factus, ab omni etiam ciuili functione,

Amaſias Rex 8. Iuda.

Ioas Rex 12. Iſrael.

Ieroboã Rex 13. Iſrael.

Zacharias Rex 14. Iſrael.

Ozias Rex 9. Iuda.

a *Alteri Ieroboamo non diſſimilis.*

b *Id eſt leproſus factus, lepra enim morbus dicitur elephanti.*

depellitur. Et ideo, Ioathæ fi- Ioatham Rex 10. Iuda.
lio, regni adminiſtrationem relinquit, quo viuente, & mortuo Zacharia, quinque Reges, in Iſrael ſeſe inuicem excipiunt. Nihilominus eorum vltimus, nomine Oſee, non niſi poſt ipſius Ioathæ mortem, vt pote Oſee Rex 19. Iſrael.
ſimul cum Achas[a], regnum adminiſtrat; Achas inquam, qui parentis ſui loco, Rex in Iuda ſuffectus, auitam religionem penitus abiiciens, ſublata antiqua templi forma, aliam prorſus gentilicam, inducit: vbi ablato Dei veri cultu, Baali, cæteriſque Diis ſacrificat. Sed nec etiam ipſe, pœnas ſuis ſceleribus debitas, effugit: poſt multas Regum externorum vexationes, infœlici tandem morte, perimitur. His[b] tamen nonobſtantibus, populus Iſraeliticus, ab inueterata impietate non recedit: imò, &

Alios enim quatuor quod de iis nihil notatu dignum inueniatur, ſilẽtio prætermito.

Achas Rex 11. Iuda.

a *Ioathæ filio.*

b *Exemplis.*

Oſee ipſe, tunc temporis Rex in Iſrael, ſuperiorum Regum veſtigia ſecutus; ſe pariter in omnia eorum ſcelera, intemperanter proiicit. Quare, Deus magis ac magis iratus, dolens, poſt tot illuſtria paternæ humanitatis argumenta, tantam in ipſo populo ingratitudinem; eum extremo ſupplicio mulctare, conſtituit. Atque ideo, ſtatim Regem Aſſyriorum ſuſcitat: qui facto exercitu, in Samariam, cæteraſque regni Iſraelitici vrbes, irrumpens: decem *a* illas omnino tribus, partim ex antiquis ſedibus fugat: partim vnà cum earum Rege, ad ſuos, captiuas ducit *b*. Interea, dum hæc aguntur in regno Iſraëlitano: Ezechias, patri ſuo Achas longè diſſimilis, in Iuda ſuccedit. Ille, templum nuper euerſum, vnà cum religione reſtituit,

a *Quæ componebant Regnum Iſrael.*

b *In quibus etiam Tobias captiuus.*

Ezechias Rex 12. Iuda.

lucis exciſis, omnibus denique impuris idolorum ſacrariis, penitus ablegatis. Quamobrem Deus, qui non magis impiorum vindex, quam bonorum remunerator; ipſius pietatem, variè compenſat. Præter multas de Palæſtinis victorias, ipſum inſuper, ab Aſſyriorum ſeruitute liberat: pluribus ex eorum exercitu, (quem pariter contra Hieruſalem adornarant) noctu, per Angelum interfectis. Nec ſatis, eidem ipſi poſtea, alioquin etiam ſecundum Iſaiæ vaticinium morituro, ſanitatem quam petebat, non modo reſtituit: verum & quindecim annorum vſuram, (dato ſimul huiuſce tanti beneficij ſigno, per ſolis regreſſum) inſuper adiicit: quibus tamen omnibus, etiam tandem elapſis, poſtea moritur. In parentis ſui locum,

Digitized by Google

Manaſſes Rex 13. Iuda.

filius Manaſſes ſufficitur, verum longè diſſimilis: quicquid enim Ezechias exterminauerat, illud omne in priorem locũ reſtituit: lucos araſque, Baali rurſus excitat: & impius ipſe, alios etiam inuitos, in eamdem ſecum impietatem, adducit. Denique, hoc ſuis ſceleribus veluti cumulum adiiciens: Iſaiam prophetam, ſibi exitium & iram diuini numinis denuntiantem, lignea ſerra diſſecari imperat. Et ideo, ab Aſſyriis armis opprimitur: amiſſoque regno, Babylonem, catenis vinctus adducitur: vbi tamen, ærumnis aliquando veluti expergefactus, ſcelerum ſuorũ veniam, à Deo ſuppliciter poſtulans, etiam ab hoſte impetrat, Deo eodem permittente, in regnum reſtitutus. Et exinde, mutata iam vitæ ratione, veram religionem amplexus, poſtea mo-

Digitized by Google

ritur. Huic, Amon ſuccedit: poſt quem, Ioſias, impij patris pius filius, ad imperium, vix octennis, euehitur. Ille Deum, ſuper reperto fortè legis, ſeu Deuteronomij volumine, cõſulens; reſponſum accipit, ſcripta in eo mala, ſuper Iudam, propter neglectum à patribus Dei cultum, inducenda: ſe tamen, ob reſtaurationem templi, cæteraque religionis officia, prius in pace moriturum; quod planè ſic accidit. Huius etenim, non diu poſt prædictionem mortui, ſucceſſor filius Ioachas, tertio menſe, regno ſpoliatus, impoſitis ab Ægyptiorum Rege, populo tributis, eidem diuinitus in ſeruitutem traditur. Nec mitius cum Iechonia & Eliacim in ipſius locum viciſſim ſuffectis, agitur: quorum alter, à Nabuchodonoſor Chaldæorum Rege, è

Amon Rex 14. Iuda.

Ioſias Rex 15. Iuda.

Ioachas Rex 16. Iuda.

Iechonias 17. Rex Iuda.

Eliacim ſeu Ioachim 18. Rex Iuda.

muris Hieruſalem præcipitatus, moritur. Alter, ab eodem Rege, (theſauris omnibus templi ſublatis) vnà cum matre, viriſque principibus, etiã in ſeruitutem, Babylonem abducitur. Tandem Sedechias *a* Rex vltimus, reliquam gentis ſuæ cladem, aduocat: qui, illorum audaces & ferinos mores exprimens, negatis, Deo permittente, tributis, etiam poſtea, à Rege Babylonis diſcedit. Hic enim, ideo, exercitu maiori, quam antea conflato, Hieroſolimam ingreſſus; templo ſimulque Regia, penitus ſuccenſis, vniuerſum populum, partim fugat: partim cum Sedechia Rege, (oculis tamen, prius ipſi erutis) captiuum, Babylonem ducit. Omnino, Regnum Iuda, antea aliqua tantum ex parte, labefactatum: iam penitus extinguit. Nihilominus, poſt ſeptua-

Sedechias: ſeu Mathanias Rex Iuda vltimus.

a *Sedechia regnante, inſignes extitere prophetæ, Hieremias, Ezechiel, Daniel, &c.*

Captiuitas Babylonica.

ſeptuaginta annos, Deus iterum miſertus: ægrè ferens, populum ſibi olim tam dilectum, quanquam iuſtè, nunc captiuum detineri: ipſum, in priſtinam libertatem reſtituere, tandem decernit, (iuſtitiam vincente miſericordia.) Ad hoc, Cyrum, tunc temporis Perſarum Regem, veluti eligit: qui poſt ſubiugatos cum Babyloniis Chaldæos, eorumque imperium ad ſuos translatum, datos ſibi tam fœlices illos rerum euentus, à Iudæorum Deo intelligẽs; ſed præterea, ad Hieroſolimitani templi reſtaurationem, ſe eſſe deſtinatum, fortè Deo ita diſponente, cognoſcens: edictum, de dimittendis ad illud ædificandum Iudæis, vbique promulgat. Atque ideo, ſoluta captiuitate Babylonica, omnia templi vaſa, à Nabuchodonoſor ſublata, inſigni liberalitate, reddit. Igitur, reuerſi ſin-

Liber Eſdræ primus.

Solutio captiuitatis Babylonicæ.

Digitized by Google

guli[a] in ſuas ciuitates; omnes ſtatim poſtea, in Hieruſalem conuocantur: vbi extructo derepentè altari, vnà cum ſacrificiis, omnes ſibi ſolitas ſolemnitates, à feſto Tabernaculorum auſpicātur. Ac tandem, poſt aliquod tempus, anno ſcilicet reuerſionis ſuæ ſecundo, (duce [b] Zorobabel, & Ioſue tunc temporis pontifice) templum, partibus ſuis omnibus reſtauratum, priſtinæ dignitati reſtituunt, Aſſyriis [c], nouis huiuſce terræ incolis, fruſtra id impedire, conantibus. Imo, illud idem, Darij poſtea [d] in Regnum [e] ſuffecti ſum-

a *Ad quadraginta duo millia cum trecentis & ſexaginta.*

Zorobabel Dux primus Hebræorum.

b *Amplius enim, ſcilicet poſt illam captiuitatem, non erant Reges: & iam Hebræorum Reipublicæ ſtatus, in priorem redierat.* c *Rex enim Aſſyriorum, Iſraelitis in captiuitatem abductis, ne eorum terra, pingui ſolo, & vbere prouentu fortunata ſylueſceret: pro antiquis illis cultoribus, alios ex ſuis ſuperinduxerat.* d *Quod autem dicitur, poſtea, non intelligas Darium Cyro immediatè ſucceßiſſe, nam antè ipſum alij regnauerunt.* e *Puta Perſarum.*

Digitized by Google

ptibus, cum ingenti lætitia, plurimoque victimarum apparatu, dedicant. Et exinde, vt maiorum ſuorum conſuetudini ſatisfacerent, ſed maximè, vt Deo, pro tanto tamque inſperato beneficio, gratias agerent: Paſcha, ſolemnitatemque Azimorum, fortè ſub hoc tempus incidentem, continuis ſeptem diebus celebrant. Nec etiam, Darius alter, cognomento Artaxerces, prioris iam defuncti loco ſuffectus, à maiorum ſuorum erga Iudæos pietate, deficit. Quippe qui reſciſcens, Eſdram, filium Saraiæ, Aaronis genus, adhuc ex Iudæis, in Babylone reſiduum; ſed præterea, eorum legis maximè peritum, intelligens: ipſum cum ſociis præſertim leuitis, & cultui templi deſtinatis, Hieruſalem mittit; tum ad populum, Dei legem edocendum, tum ad ea, quæ vel in moribus, vel in

Digitized by Google

eiuſdem Dei cultu, deprauata erant, reſtauranda: & quidem maximè ex compoſito. Nam Deum, alioquin propter Iudæorum cum gentibus matrimonia, iam iam iterum ad vindictam paratum; Eſdras, Hieruſalem adueniens, mixta fletibus oratione, ſiſtit. Ac tandem, repudiatis omnibus vxoribus alienigenis, hunc ipſum populo reddit, vt antea propitium. Tandem, reædificato templo, cæteriſque in vrbe reſtitutis: Nehemias, Helchuiæ filius, vltimum addit ipſius complementum: qui ideo, litteris adhuc ab eodem Rege [a], cuius erat pincerna, impetratis; ciuitatis muros, ſolo penitus adæquatos, etiam quantumuis frementibus inimicis, excitat. Quod videns omnis populus Iſrael & Iuda, ſuum ſibi decus reſtitutum: ſed præterea, nullum iam contra ſe

Liber Eſdræ 2.

[a] *Scilicet Dario Artaxerce.*

Liber vterque Machabæorum.

Digitized by Google

bellum excitari, imò omnia, pacis, & tranquillitatis plena, intelligens : deterſa huiuſce poſterioris vitæ caligine, antiquos vultus reſumit. Et qui nuper in afflictione, non procul à morte diſtare videbantur : iam iam veluti reuiuiſcere, incipiunt. Nihilominus, eorum adhuc omnis lætitia, & ipſa, quam putabant, tranquillitas, cito in luctus & diſſidia conuertuntur. Nam, Alexandro Magno, poſt omnes ferè ſibi nationes ſubiugatas, & Darium occiſum, eiuſque imperium ad Græcos tranſlatum, defuncto : vnus ex eius ſucceſſoribus *a*, Antiochus, reportata inſuper de Ptolomæo Ægypti Rege victoria, inuadit Hieruſalem: & ablatis vaſis omnibus ac theſauris, vnà cum ciuitate, templum nuper reſtitutum, incendio deſtruit. Nec contentus, Iudæis in captiuitatem ductis, leges

a *In Græcia.*

idololatriæ ſtatuit: & renittentes, etiam miſere trucidat. Verum, Deus, qui hæc omnia, in maiorem ſui populi vtilitatem permittebat: ne ſcilicet, omnibus ad nutum fluentibus, otio abundantes, illum desererent: ſed potius, vt afflicti, ad eumdem recurrere cogerentur: Deus inquam non minus in affligendis hominibus, quam liberãdis, mirabilis: virum nomine Mathatiam, ſacerdotem, ſuſcitat: qui ſolus cum filiis, Regis [a] voluntati renittens, ipſius potentiam frangit. Nam adiunctis ſibi piorum virorum copiis, cæſo diuinitus Antiochi præſidio, Idololatriam deſtruit: ac tandem poſtea moriturus, quod ſibi non licebat, Dei cultum, populique libertatem reuocare, filiis [b] maximè cupiens: Symonem, ideo conſultorem, Iudam vero Machabæum, militiæ principem,

a *Antiochi.*

b *Quinque enim habebat filiosi, nter quos illi ambo Symon & Iudas.*

Digitized by Google

aduerſus ipſum Antiochum cõ-
ſtituit. Qui reuera Dux eximius,
à conſilio patris ſui non rece-
dens, debellato Regis exercitu, Iudas
& ſic, ſemper de ipſius ſucceſſo- Macha-
ribus, victor exiſtens; templum, bæus Dux
Hieroſolimamque reſtituit: & 2.
audita Romanorum fama ac vir-
tute, cum ipſis fœdus percutit;
hac ratione, ſibi, ſuiſque maius
fore præſidium, arbitratus. Po-
ſtea tamen, fortiſſimo exerci-
tui reſiſtens pertinacius: à mul-
titudine hoſtium, in acie op-
primitur, multum ab Iſraelitis
omnibus requiſitus. Huius ve- Iona-
ro in locum, Ionatham ſuffi- tham
citur. Ille, quod frater non po- Dux 3.
tuerat etiam longo tempore,
breui perficit. Demetrij, tunc
temporis Syriæ Regis, amicitias
conſecutus: acceptis litteris im-
munitatis à tributis, Iudæam
tandem, in priſtinam libertatem

Digitized by Google

aſſerit. Sed magis, ſummum ſacerdotium, & eius inſignia reſumit. Societatem cum Romanis renouat. Denique omnia, ad ſua, ſuorumque vota, componit, exitu nihilominus infœlici: nam paulo poſt, à viro quodam per inſidias circunuentus; pariter occiditur. Eius locum, Symon frater occupat: qui, tertiò, amicitia cum Romanis renouata, amplam ſibi, totique populo pacem, inducit. Cui poſtea etiã interfecto, ſuccedit filius eius Ioannes: & poſt ipſum, filius Ariſtobulus. Ille, Regiam dignitatem, iam diu in Iudæa extinctam, reuocat: ſed matrem, & fratres interficit, nullum ſui ſucceſſorem relinquens. Quare ipſius loco, Iamneus Alexander eligitur; vir non minus crudelitate inſignis, qui, in ſuos etiam filios, Hircanum, & Ariſtobulum,

Symon Dux 4.

Ioannes Dux 5.

Hîc Duces finiuntur & Regia dignitas reſtauratur.

Ariſtobulus Rex 1.

Iamneus Alexãder Rex 2.

lum, veluti impius; ipſis, quod ius & natura tribuebat, eripiens; vxorem Alexandram, regni ſui hæredem facit. Huic tamen defunctæ, Hircanus ſuccedit, non diu, ab Ariſtobulo fratre ſuo, expulſus, qui ſe in eius locum ſufficit. Dum autem hæc aguntur, & ipſi ambo fratres, de regno diſputant; Pompeius, Dux Romanorum, litem componit: omnem enim Iudæam, in poteſtatem Romanorum redigit: Hircano tantum, ſacerdotium relinquit: Ariſtobulum [a] vero, captiuum ducit; pro quo, Antipatrum, Herodis patrem, in Iudæa veluti procuratorem collocat. Nihilominus [b] tandem, paucis abhinc annis, Senatus Romanus, ſupra dictum Herodem, Regem Iudeæ conſtituit.

Hircanus Rex 3.

Ariſtobulus Rex 4.

a *Hic Regia dignitas nuper recuperata, iterum deperditur.*

b *Nihilominus etiam ac tertio reſtituta, diu poſtea conſeruatur.*

Addere ego plura, ſed præſentis inſtituti ratio, non pati-

Cōcluſio operis.

tur: & CHRISTVS iam ſub ipſo Herode natus, qui alioquin, ſcribendi alijs facit initium, mihi finem econtrario, conſtituit.

FINIS.

DEO VIRGINIQVE MATRI, ſit ſempiterna laus, honor & gloria, in ſæcula ſæculorum.

AMEN. an. au. 22.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

Hîc habes (amice Lector) breuiſſimum totius veteris teſtaméti compendium; nam quæcumque ab exordio mundi, vſque ad Chriſti natiuitatem geſta ſunt, ea omnia in exiguo illo volumine collegimus: & ne breuitas obeſſet perſpicuitati, ſingula ſuo prorſus ordine poſuimus; rebus etiam illis, quæ præter cęteras aliquam à nobis interpretationem exigere videbantur, annotationes

é

Digitized by Google

adiunximus, litteris alphabeti deſignatas: án quod tentauimus ſimus aſſecuti, aliorum eſto iudicium; illud ſcio non futurum omnibus idem: quicquid ſit (Lector beneuole) conatus noſtros approba, & ſcito, neque voluntati diligentiam, neque ſtudium labori defuiſſe.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum.

NOs ſubſignati ſacræ Theologiæ Doctores, legimus, & examinauimus libellum cui titulus eſt, *Sacra per compendium Hiſtoria in qua, vniuerſa quæ à mundo condito, vſque ad Chriſtum natum geſta ſunt; breuiter, ſed dilucide & ordine perſtringuntur. Authore* M. BONAVENTVRA ROVSSEAV DE BASOCHES *Pariſienſi, Regis Eleemoſinario*; & in eo nihil deprehendimus, quod diſſentaneum ſit à Scripturis ſacris, & alienum à bonis moribus. Datum Pariſijs, in Regio Nauarræ Gymnaſio, VII. Idus Sept. anno Domini milleſ. ſexcent. triceſimo tertio.

I. YON.

DAMONT.

Digitized by Google

Summa Priuilegij.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis, diplomate ſancitum eſt, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubjectis intra decem annos, à prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, & ratione curet, librum, qui inſcribitur, *Sacra per compendium Hiſtoria in qua, vniuerſa quæ à mundo condito, vſque ad Chriſtum natum geſta ſunt; breuiter, ſed dilucide & ordine perſtringuntur. Authore* M. BONAVENTVRA ROVSSEAV DE BASOCHES *Pariſienſi, Regis Eleemoſinario*; præter Tuſſanum du Bray, Bibliopolam Pariſienſem; idque ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſijs, die 1. Februarij 1634.

DE MANDATO REGIS.

Signatum,

RENOVARD.

EMANUELE
IN ROMA
TECA

Digitized by Google

ERRATA.

Pagina 16. linea 23. *lege* vnicolores *vno verbo*, *non* vni colores.

Pag. 17. linea 1. *lege* decorticatas, *non* decortitatas.

Pag. 20. linea 2. *lege* 2310. *non* 1310.

Pag. eadem linea 10. *lege* creſcentes, *non* croſcentes.

Pag. 42. lin. 20. *lege* pariter, *non* patiter.

Pag. eadem linea 23. *lege* quieſcente, *non* quiſcente.

Pag. 44. lin. 9. *lege* pariter, *non* patiter.

Pag. 77. lin. 12. *lege* Qua re, *non* Quaro.

Pag. 90. lin. 12. *lege* arce, *non* arte.

Pag. 97. lin. 12. *lege* regiæ mulæ, *non* regia mula.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google